




SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL : 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE

Arnal.

SCRIPTA HISTORICA ISLANDORUM

DE REBUS GESTIS

VETERUM BOREALIUM,

LATINE REDDITA

ET

APPARATU CRITICO INSTRUCTA,

CURANTE

SOCIETATE REGIA ANTIQUARIORUM SEPTENTRIONALIUM.

VOLUMEN OCTAVUM.

HISTORIA REGIS SVERRERIS.

HAFNIÆ, 1837.

TYPIS EXCUDEBAT S. L. MÖLLERUS.

1873, Jan. 23.
Subscription Fund.

Sverrir, king of Norway.

HISTORIA

REGIS SVERRERIS,

EX VETERE SERMONE

LATINE REDDITA

ET

APPARATU CRITICO INSTRUCTA,

CURANTE

SOCIETATE REGIA ANTIQUARIORUM SEPTENTRIONALIUM.

OPERA ET STUDIO

SVEINBJÖRNIS EGILSSONII,

COLLEGÆ SCHOLÆ BESSASTADENSIS IN ISLANDIA.

HAFNIÆ, 1837.

TYPIS EXCUDEBAT S. L. MÖLLERUS.

Ductu præfationis octavi vol. historiarum veterum borealium, a celeb. et doct. Prof. F. Magnusenio conscriptæ, primo codices membraneos historiæ Sverreris breviter recensebo, deinde probabilem sententiam laudati Magnusenii de auctoribus hujus operis exponam.

A, codex membraneus, fundamenti loco positus (in collectione manuscriptorum Arnæmagnæana n. 327, forma 4.), non quidem vitiis et lacunis omnino immunis, egregius tamen, manu certa et nitida exaratus, orthographiam servans vetustissimis nostris monumentis convenientem. Quo nomine notandum est, literam ð et þ non solum adhiberi post *f*, *g*, *r*, sed et proxime præcedentibus *k*, *p*, *m*, *l*, ut *hnæcði*, *glapði*, *dreymþi*, *fjölþi; pt* pro *ft* in *þurpt*, *tylpt; e* pro *i* in *mec*, *sec* i. e. *mik*, *sik*. Hic codex haud paucas habet adscriptiones, a variis possessoribus vel lectoribus additas, ex quibus maxime memorabiles sunt duæ, altera in primo folio codicis, „*Hoc opus isserus fecit*", altera in summa pagina cap. 63, „*frá Þóro sendr herra Sigurdi lögmanni*" i. e. domino Sigurdo prætori ab Thora missus. Posterior adscriptio vero simile facit, codicem seculo decimo quarto esse antiquiorem: nam in Islandia ab initio sec. 13. ad sec. 16. nullus fuit hoc nomine prætor, præter Sigurdum Gudmundi filium, qui, meridianæ et orientalis Islandiæ prætor ab anno 1358, obiit 1380. Eodem seculo quatuor hoc nomine prætores in Norvegia fuere: Sigurdus Jonis, prætor Thrandheimiæ annis 1307, 1310, 1311, 1319, 1322; Sigurdus Havthoris, prætor Osloensis 1348; Sigurdus Gyrdi, prætor Skidiensis 1356; Sigurdus Eiriki, prætor Uplandensis 1370; et præter hos Sigurdus Sigvati, prætor Orcadensis 1338. De priori adscriptione, *Hoc*

opus isserus fecit, quæ ad auctorem historiæ spectat, infra dicetur. Ceterum nonnullæ adscriptiones probabile faciunt, hunc codicem in Norvegia fuisse, saltem sec. decimo sexto; indidem quoque immortalis vir Arnas Magnæus eum acquisivit, suæque incomparabili manuscriptorum collectioni inseruit.

G, cod. membr. ex eadem collectione n. 47, forma maxima, *Eyrspennill* dictus, continens posteriorem Heimskringlæ partem a cap. 252. historiæ Olavi Sancti ad finem historiæ Magni Erlingidæ, cui annexa est epitome quædam historiæ Sverreris. Quam epitomen continuationem esse Heimskringlæ a Snorrio Sturlæo concinnatæ docent verba capitis 112, *„sem fyrr er ritat"*, quæ verba, cum in ceteris membraneis non inveniantur, præcedentem Heimskringlæ historiam Magni Erlingidæ, de controversiis inter regem et archiepiscopum agentem, manifesto respiciunt. Ex quo apparet, Snorrium hanc epitomen eodem prorsus modo, atque versatus est in ceteris regum Norvegicorum vitis, excludendo, contrahendo, corrigendo et augendo concinnavisse. Quam ob causam hic codex merito dignus visus est, qui summa cura et fere verbo tenus cum codice *A* ceterisque membraneis compararetur. Ad tempus constituendum, quo hic codex exaratus sit, adscriptio in eodem obvia facit: *„iste liber est Throndonis Gardari* (vel *Garderi*), *canonici Nidrosiensis";* qui Thrandus Gardaris filius floruit circa medium sec. 14., ut apparet ex codicillis membraneis, ed. Bergis 23. Aug. 1363. Quæ adscriptio cum scriptura codicis longe recentior esse videatur, ipse liber haud dubie ineunte sec. 14., aut etiam exeunte sec. 13., exaratus est. Multa tamen sunt, quibus appareat, hanc Sverreris historiam ex vetustiori libro (forte ex autographo ipsius Snorrii Sturlæi aut librarii ejus) descriptam esse. Orthographia codicis cum in multis prope ad cod. *A* accedit, tum hoc peculiare habet,

quod negationem *a* et *at* verbis suffigat, v. c. *fóra*, non ivit, *þolat*, non pati; quod haud facile in prosa oratione, nisi in antiquissimis legibus (v. c. Gragasa) aut vetustissimis proverbiis (Fms. 7, 116) occurrit; quod *þí* pro *því* dat, et interdum aspiratam *h* in complexis vel compositis omittit, ut in *falann* (pro *fal hann*), *portús* (pro *porthús*), in his scribendi rationem ad vulgarem pronuntiationem accommodasse existimandus est.

B, codex Flateyensis, forma folii maxima, ornamentum magnæ bibliothecæ regiæ; cujus codicis columnam 583. usque ad 659. historia Sverreris occupat, a sacerdote Magno Thorhalli filio circiter anno 1390 exarata. Ea historiæ pertractatio, quam præfert codex iste, ceteris aliquanto verbosior est.

F, codex, Skalholtinus dictus (in collect. Arnæmagnæana n. 81. forma folii), continens Sverreris et proximorum successorum historiam, ut et Hakonis Hakonidæ, seculo 15. vergente, ut videtur, exaratus. Cui etsi haud pauca vitia, incuria librarii, irrepserint, tamen a fonte satis bono defluxisse, et Snorrio Sturlæo, sive auctori Eyrspennilis, ad manum fuisse videtur.

H, cod. chartaceus (A. M. n. 42 et 80, forma folii), epitomen historiæ Sverreris continet, in capite 16. desinentem. N. 42 ex alio codice exscriptus est, quem codicem (haud dubie membraneum) Torfæus Gullinskinnam (membraneum aureum) appellavit.

Præterea cum codice *A* 14 folia membranea, notata num. 1—14, collata sunt; ex quibus 11., ut ex ductu literarum et orthographia conjicere est, exaratum videtur anno 1300 aut prius, prope enim accedit ad scripturam egregii codicis, secundum quem historia piratarum Jomensium impressa est in *Fornm. s.* vol. 11. N. 4, 6, 7, 8, 9, 12, 13, 14 seculo decimo quarto; n. 2, 3, 5 sec. 14. exeunte aut 15. ineunte; n. 1, 10 sec. decimo quinto.

De auctoribus historiæ Sverreris. Primus ejus

auctor fuit Carolus Jonæus, abbas monasterii Thingorani ab anno 1169 s. 1170. Qui cum anno 1181 se abbatis officio abdicasset, anno 1185 in Norvegiam trajecit, ubi videtur ad annum 1187 commoratus, quo anno in Islandiam reversus abbatis officium iterum suscepit (Hist. eccl. Isl. Tom. 4. p. 31). His duobus annis 1185—6, 1186—7 videtur historiam Sverreris conscripsisse, et ad annum 1184 (fin. cap. 100.) deduxisse. Brevior historiæ prologus significat, ipsum regem Carolo res conscribenti adsedisse, rerumque conscribendarum auctorem fuisse; longior autem præfatio aliorum virorum facit mentionem, qui historiam primi conscripserint, quos secutum Carolum abbatem, rege Sverrere jubente rerumque scribendarum ac disponendarum arbitro, vitam ejus composuisse. Ex quibus colligi potest, regem Sverrerem, qui ipse literis imbutus fuit, librisque conscribendis operam dedisse putatur, aut ipsum quædam ad vitam suam pertinentia literis mandasse, aut aliis quoque id negotii dedisse, ut rerum ab se gestarum momenta successu temporis delibarent, eidemque dein placuisse, ex his diversis commentariis subtiliorem aliquam historiam ab docto aliquo Islando conscribi, quemadmodum alii ejusdem terræ cives (ut Arius et Sæmundus, polyhistores) superiorum Norvegiæ regum vitas descripsissent. Quod eo probabilius existimari debet, quod historia Sigurdi, Ingii et Eysteinis haud obscure innuat, regem Sverrerem quædam ad vitam Eysteinis patrui sui pertinentia literis mandari jussisse (Scr. hist. Isl. Vol. 7. p. 244).

Quis posteriorem partem historiæ Sverreris a capite 101., quam partem latino vocabulo *perfectam fortitudinem* appellatam esse docet prologus cod. Flateyensis, conscripserit, ad hoc quidem tempus ignotum fuit. Sed hujus auctoris nomen contineri putamus adscriptione codicis *A*, *„Hoc opus isserus fecit"*.

Nam hoc nomen (*Isserus*) haud dubie idem valet atque nomen *Gissur*, nomen in Islandia quidem notissimum et vulgatissimum, in Norvegia vero sec. 12., 13., et 14. raro aut nunquam usurpatum, prima nominis litera aut per incuriam omissa aut vetustate forte deleta, aut, quod vero videtur similius, nomine Islandico ad sermonem latinum accommodato et nonnihil detorto, consvetudine istorum temporum, qua nomina Scandica *Halli* in *Allo*, *Hákon* in *Acon*, *Gyda* in *Juta*, *Ormr* in *Omerus* aut *Homerus*, *Höskuldr* in *Osculdus*, etc., mutari solebant. Hic Gissur sine dubio fuit doctissimus ille Islandus seculi 12., Gissur Halli filius, qui aulæ magister fuerat regis Sigurdi Bronchi, patris regis Sverreris. Qui cum esset peritissimus veterum historiarum de regibus Norvegicis, patreque tam familiariter usus fuisset, haud a verisimilitudine abhorret, eundem omnem lapidem movisse, ut partem historiæ de filio, rege Sverrere, a Carolo abbate conscriptam, obtinere et continuare posset. Quantam autem in historicis famam habuerit, signo est, quod celeber ille historicus Gunnlogus Leivi filius, monachus Thingoranus, Carolo ibidem abbati æqualis, historiam regis Olavi Trygvidæ ab se latino sermone conscriptam ei emendandam tradidit (Scr. hist. Isl. Vol. 3. p. 173). Itaque quod iter Gissur Thingoras suscepit, id eo consilio factum esse judicamus, ut priorem partem historiæ Sverreris a Carolo abbate compositam exscriberet, deindeque continuaret, simulque ut plenius ab abbate de moribus et vita regis Sverreris edoceretur. Neque facile fuit his temporibus ex Islandis quisquam, excepto Gissure Halli f., Sigurdi Bronchi quondam aulæ magistro, qui hujus consvetudinis et ingenii imaginem tam exacte exprimere potuerit, ut in cod. Flateyensi (consentiente fragmento 14.) factum est, vide var. lect. ad cap. 181. Ceterum Gissur filius erat Halli Teitidæ, sacerdotis inclyti et episcopi designati, Arii

polyhistoris coalumni et amicissimi, educatus et literis imbutus ab episcopo Skalholtensi Thorlaco Runolvi, qui, teste Hungurvaka, de eo divinavit, virum tam excellentem haud facile unquam in patria extiturum. Juvenis per meridianas Europæ partes peregrinatus, Roma rediit anno 1152, et itinerarium composuit, *Florem peregrinationis* appellatum (Sturl. lib. 3. p. 205). Quod nomen cum inscriptione posterioris partis historiæ Sverreris comparatum eundem auctorem respicere videtur, cum libri Islandici istis quidem temporibus latinis inscriptionibus vix superbierint. Prætor Islandiæ fuit ab anno 1181 (Hist. Sturl. lib. 1. p. 121) ad annum 1201. Præterquam a Carolo abbate, varia ad vitam Sverreris discere potuit ab episcopo Skalholtensi Paulo, Jonis Loptidæ filio, nec non ab Jone, Grönlandiæ episcopo, dicto Sverreris alumno, qui annis 1188—89, 1202—3 in Islandia versatus est. Obiit Gissur Hallii filius anno 1206, Carolus abbas 1212 aut 1213. Hallus, filius Gissuris, patri suffectus præturam gessit ab anno 1201 ad 1210, successorem nactus sacerdotem Styrmerem polyhistorem, qui circa hoc tempus historiam Sverreris exscripsisse videtur. Quæ additamenta historiæ adjecerit, nunc non liquet; illi vero haud dubie debetur mentio Guttormi archiepiscopi, qui munus suum suscepit anno 1214 (hist. Sverr. c. 161), et plura. Ceterum Styrmer Snorrio Sturlæo familiaris erat, ejusque postea scriba et procurator. Snorrius autem historiam aut ab Styrmere, aut a Paulo episcopo, quocum una educatus erat, aut ab ipso Hallo Gissuris filio, postea abbate Helgafellensi, obtinere potuit. A quo in compendium, quale exhibet cod. Eyrspennil, redactam esse, supra demonstratum est.

HISTORIA REGIS SVERRERIS.

PRÆFATIO CODICIS FLATEYENSIS.

Prologus.

Hic incipit narratio de rebus, quæ gestæ sunt eorum ipsorum hominum memoria, qui hanc historiam primo composuerunt; cujus operis ductu Carolus abbas Jonis filius eandem historiam conscripsit, ipso rege Sverrere omnino sciente, verbisque, qua ratione res describendæ et quo ordine componendæ essent, præeunte; quem librum descripsit sacerdos Styrmer polyhistor. Hanc vero de Sverrere historiam ex eo libro transcripsit sacerdos Magnus Thorhalli filius; qua re hæ res traditione orali depravari minime potuerunt. Et vero fides hujus historiæ, quæ tam certis argumentis nitatur, multum antecellit ceteras narrationes, a diversorum hominum ore exceptas, quæ, quanquam sola traditione fundatæ, tamen veræ esse possunt. Hæc, quam jam sumus narraturi, historia agit maxima ex parte de rege Sverrere, filio regis Sigurdi Bronchi, filii Haraldi Gillii, filii Magni Nudipedis, filii Olavi Tranquilli, filii Haraldi, filii Sigurdi Porcæ, filii Halvdanis, filii Sigurdi Risii, filii Haraldi Pulcricomi, filii Halvdanis Nigri, filii Gudrodi Generosi, filii Halvdanis Munifici et Cibiparci, filii Eysteinis, filii Halvdanis Albipedis, filii Olavi Tretelgæ (silvarum excisoris), filii Ingjaldi Malevoli, filii Onundi, ab aperiendis viis nominati, filii Yngvaris, filii Eysteinis, filii Adilsis, filii Ottaris Vendilkrakæ (cornicis Vendiliensis), filii Egilis,

filii Anii Grandævi, filii Jorundi, filii Yngvii, filii Alreki, filii Agnii, filii Dagi, filii Dyggvii, filii Domaris, filii Domaldii, filii Visburis, filii Vandlandii, filii Sveigderis, filii Fjolneris, filii Yngvifreyi, filii Njordi de Noatunis. Mater vero regis Haraldi Pulcricomi fuit Ragnilda, filia Sigurdi Cervi, filii Aslogæ, filiæ Sigurdi Fofnericidæ, filii Sigmundi, filii Volsungi, filii Sigii, filii Rerii, filii Odinis, filii Frjalavi, filii Finni, filii Godolvi, filii Bjaris, filii Skjaldii, filii Hermodi, filii Trinami, filii Attrai, filii Bedvigi, filii Sesepi, filii Magnii, filii Modii, filii Vingineris, filii Vingithoris, filii Eredeiri, filii Joreki, filii Thoris: hujus mater fuit Troana, filia Priami, celeberrimi Trojanorum regis, filii Laomedontis, filii Ili, filii Ereæ, filii Erichonii, filii Dardani, filii Jovis, filii Saturni, filii Chelii, filii Chreti, filii Chipri, filii Zethimi, filii Japhani, filii Japheti, filii Noæ, filii Lamechi, filii Mathusalemi, filii Enoki, filii Phareti, filii Malaleeli, filii Kainanis, filii Enosi, filii Sethi, filii Adami, primi hominis. Hoc initium est historiæ regis Sverreris, quod nonnulla de præliis ab eo gestis referuntur; procedente vero historia, ipsius opes crescunt, quod sic æstimari potest, ut si omen fuerit rerum majorum, quæ divina providentia administrante ejus opera postea gestæ sunt. Qua de causa prima historiæ pars Terricula est appellata, quod multi dictitarent, propter belli ac præliorum atrocitatem instare quidem periculum aliquod aut terrorem, sed brevi transiturum atque in auras dilapsurum; id quod rei naturæ conveniens videbatur, cum propter opes immensasque copias adversariorum, Erlingi dynastæ, et Magni filii ejus, qui amicorum et cognatorum copia abundabant, tum quod Sverrerem, qui ætate adolescens et solus omnibusque ignotus in regnum venisset, neque opes, neque cognati, ne-

que amici sublevabant. Et quoque cecidisset res, ut multorum opinio ferebat, nisi eum ipse Deus, cœlorum rex, viribus augere, et ad hoc imperium, quod ipsi ad ultimum vitæ diem regendum ejusque posteris deinceps ordine administrandum concessit, evehere voluisset. Posteriorem vero historiæ partem vocant Perfectam fortitudinem; nec immerito: nam Deus eum tanto robore adjuverat, ut quasque turbulentorum hominum factiones, contra se insurgentes, sive majoribus sive minoribus opibus niterentur, deleverit ac profligarit. Hoc loco autem cum omnia prælia gestaque regis Sverreris aut non satis diligenter narrata sint, aut omissæ res dignæ quæ posteritati tradantur, hi, qui peritiores sunt majoremque habent rerum notitiam, ea addere operi poterunt. Et quanquam sunt quædam, quæ hic, ratione habita numeri ac discriminis copiarum, fidem soliti præliorum eventus et fortunæ excedere videantur, tamen hæc omnia vera esse, neque in majus aucta, omnes norunt. Quo nobis vero similius esse videtur, fidem mereri narrationes, quæ de antiquorum virorum excellentium præclare gestis memoriæ proditæ sunt. Quod si quibus expositio nostra justo longior esse videatur, hi, quibus id magis volupe sit, alia oblectamenta quærant; illi, qui hoc potius ducant, huic narrationi aures præbeant; fore enim, qui utrumvis faciant, non dubito. Verum existimo, viros cordatos et elegantes majorem voluptatem ex narrationibus, quibus singuli plures oblectare possint, quam ex temeraria lætitia, qua plures singulos delectare necesse habeant, percepturos. Itaque quisque ex rebus, quæ animo maxime arrideant, lætitiam et voluptatem capiat, sed nemo aliorum instituta, quæ deceant, vituperet; nam suam quisque naturam seque maxime cupit.

BREVIOR ET ANTIQUIOR HISTORIÆ PRÆFATIO.

Prologus[1].

Hic incipit narratio de rebus, quæ aliquanto abhinc temporis spatio, et quidem eorum memoria, ex quorum relatione hoc opus primum compositum est, acciderunt: nimirum narratio de rege Sverrere, filio regis Sigurdi Haraldi filii. Cujus operis pars prior exscripta est secundum eum librum, quem abbas Carolus Jonis filius, ipso regi Sverrere præsente [et rerum describendarum arbitro[2], primus composuit; quæ narratio non longe repetita est. In hac parte aliquot ejus prælia exponuntur, qua procedente crescentes opes ejus res majores portendunt; unde factum, ut prior operis pars *Gryla* (terricula) vocaretur. Posterior operis pars composita est ex eorum relatione, qui bona præditi memoria ipsi has res viderant et audiverant, quorum nonnulli præliis cum rege Sverrere interfuerant. Quædam ex his rebus tam fideli memoriæ mandatæ fuere, ut extemplo recens factæ literis consignatæ sint; [quæ postea immutatæ manserunt[3]. Sed fieri potest, si homines harum rerum uberiorem notitiam habentes hoc opus viderint, his ut res quibusdam locis majori festinatione properatæ, omissaque multa relatu digna videantur. Quibus, si ita placuerit, eadem addere facile erit. Etsi autem hoc in opere quædam aliter sint exposita, quam, ratione habita copiarum numeri, solito præliorum eventui convenire videatur, tamen hæc aucta non esse omnes norunt. Quo nobis vero similius esse videtur, fidem mereri narrationes, quæ de priscis viris excellentibus mandatæ literis sunt.

[1]) historiæ Sverreris, *add. G.* [2]) *omitt. G.* [3]) *omitt. G.*

HIC INCIPIT HISTORIA DE REGE SVERRERE.

Rex Sverrer nascitur.

1. Eo tempore episcopus Roius, frater Unæ Kambarii (carminarii) vulgo existimatus, in insulis Færois versabatur. Unas, provecto imperio fratrum, Ingii, Sigurdi et Eysteinis, Haraldi Gillii filiorum, mulierem Norvegam, nomine Gunnildam, uxorem duxit. Hæc paulo post filium peperit, qui Sverrer appellatus est, Unæque filius dictus. Cujus pueri futuram magnitudinem insignia visa, in somnis apparentia, qualia res maximi momenti fere portendere solent, prænuntiabant. Mater ejus Gunnilda unum somnium, quod ante eum natum viderat, narravit. Sibi nempe visa est in splendido quodam cœnaculo versari, ibique partu, quem ferebat, levari, famula, quæ infantem in lucem editum exciperet, genibus ejus adsidente. Cumque ei infans in lucem editus videretur, mulier, qua utebatur obstetrice, magno pavore perculsa eam vehementer exclamare cœpit, dicens: Gunnilda mea, partum monstruosum visuque horrendum edidisti. Quæ verba ter exclamans repetiit. Cum vero feminam tam sæpe tremula voce idem exclamantem audisset, ipsa explorans, qualis esset partus a se editus, animadvertit, lapidem esse ingenti magnitudine niveoque colore, cujus tantus erat fulgor, ut in omnes partes scintillas spargeret, veluti candens ferrum, quod in camino

[follibus vehementer inflatis[1] coquitur. Quo viso feminam ita est allocuta: hunc partum diligenter servemus, nec a quopiam animadverti sinamus; plerisque enim, qui viderint, res visu erit inprimis mirabilis. Ipsæ dein ei visæ sunt lapidem sublatum et in sella quadam depositum splendido panno obvolvere. Quem cum quam diligentissime custodivissent, tamen scintillæ per pannum volitantes totum intus cœnaculum collustrabant; quo horrendo viso admodum sunt perterritæ, atque tandem ipsa somno expergefacta est. Unas ex Gunnilda filium suscepit, nomine Hidium, filiamque[2], quæ Stephano Porco nupsit, quorum filius erat Petrus Steyper; plures præterea filias[3] Unas ex uxore sua procreavit. Sverrer, quinque annos natus, relicta Norvegia, occidentem versus in insulas Færoas profectus est, ubi ab episcopo Roio est enutritus et educatus. Hic eum literis erudiendum curavit, et inferioribus ordinibus ecclesiasticis initiatum tandem sacerdotio inauguravit. Qui posteaquam annis maturuerat, mores sacerdotibus dignos minus diligenter observavit, seque majorem in modum turbulentum præbuit. Incurrit in odium Brynjolvi, Kalvi legati filii, qui tunc temporis regis nomine has insulas administravit; nam Sverrer hominem aliquem pulsaverat, quam ob causam Brynjolvus magno cum numero suorum eum aggressus est. Qui cum solus evasisset, cedenti adeo vehementer institerunt, ut in cubiculum aliquod confugiens latebras quærere cogeretur; hic in fornace occultatus est a femina quadam, quæ, præfurnio plano lapide obstructo, ignem ante fornacem accendit; unde factum, ut illi, cubiculum perlustrantes, eum frustra quærerent. Et vero hi, qui

[1]) *omitt. G.* [2]) nomine, *add. G, vacuum spatium nomini relinquens.* [3]) liberos, *F.*

noverunt, quantus ille vir evasit, postea multa insignis ad virtutem indolis indicia in eo deprehendisse sibi visi sunt.

De somniis Sverreris.

2. Sverrer insignia somnia vidit, quæ quidem a nonnullis pro vanis existimata et ludibrio habita fuere. Inter alia tale somnium sibi oblatum narravit: visus sibi est in Norvegia versari, in avem mutatus tantæ magnitudinis, ut rostrum ad fines regni orientales, pennæque caudæ septemtrionem versus in tractum usque Finnicum pertinerent, ipseque alis totam Norvegiam contegeret. Hoc somnium sapienti cuidam, cui Einari nomen, aperuit, eumque interrogavit, quid istud somnium significare putaret. Einar rem quidem sibi incognitam esse professus est, vero autem simile sibi videri, hoc somnio potestatem aliquam portendi, subjiciens: fieri potest, ut archiepiscopus evadas. Cui Sverrer: haud mihi verisimile videtur, me archiepiscopum futurum, qui sacerdotio haud satis idoneus sim. Sverrer annos quatuor et viginti compleverat, antequam, quo patre uteretur, perspectum haberet. Post hæc hieme in Færois transacta, in Norvegiam rediit.

De Magno Erlingi filio.

3. Hoc tempore Magnus et Erlingus omnium procerum[1] totiusque populi opibus magnopere sublevabantur. Erat enim rex omnibus gratus et acceptus; dynasta potentia ac prudentia valebat, idem imperiosus et in obtinenda victoria felix, totiusque reipublicæ administratio penes eum fuit. Multos ille quidem habuit obtrectatores, tam ex humilibus quam e potentioribus, maxime in communi Thrandhemico, regni parte septemtrionali. Sed archiepiscopus Eystein, qui in his regionibus ad boream versis totum popu-

[1]) præfectorum, *G.*

lum auctoritate sua regebat, intimus erat regis Magni amicus, totamque populi universitatem ejus partibus adjungebat. Ceterum rex Magnus omnes proceres ad sua studia converterat, quosdam satellitio suo adjunctos, alios præfecturarum beneficiis devinctos; præterea universus populus in eo evehendo et in imperio retinendo consenserat; et quidem majoribus suis acceptum referebat, quod populus eum amaret, ac potius Sigurdi Hierosolymipetæ, quam Haraldi Gillii posteris ejusque progeniei obsequium præstare mallet.

Sverrer de genere paterno certior fit.

4. Interea accidit, ut Gunnilda, patria relicta meridiem versus Romam proficisceretur. Quæ cum esset coram eo[1], qui confessionem ejus audiret, aperuit, filium patre uti alio atque antea professa fuisset, ejusque patrem regem esse, ipsum vero de re celari. Qua re ad Papam delata, satisfactionis loco ei injunctum est, ut filio, cum primum eum convenisset, de vero[2] patre indicaret. Quæ cum domum revenisset, haud ita multo post suscepto itinere in Færoas profecta Sverrerem certiorem fecit, eum filium esse regis[3] Sigurdi Bronchi[4]. Quæ res magna eum affecit sollicitudine ejusque animum suspensum reddidit, quippe cui difficile videretur de regno adversus regem Magnum et Erlingum dynastam contendere, neque satis dignum putaret, [si rege natus esset[5], sese non aliter gerere quam aliquis e vulgo agricolæ filius; cumque reminisceretur, quemadmodum [quæ vidisset[6] somnia a sapientibus viris explicata fuissent, eadem animum ejus ad cognatos suos ulciscendos magnopere acuerunt.

Somnium Sverreris.

5. Sequens somnium Sverrer ita narravit:

---

[1]) sacerdote, *F.* [2]) *G; omitt. A.* [3]) Norvegiæ, *add. B.* [4]) *add. B.* [5]) *omitt. G.* [6]) *omitt. G.*

sibi visum ab occidente per mare in Norvegiam profectum, ad aliquem gradum dignitatis ascendisse, et, quod potissimum credidit, se episcopum creatum. Ibidem [magnas inter reges[1] controversias exstitisse putavit, rege Olavo sancto adversus regem Magnum [Erlingumque dynastam[2] contendente, sese vero, utri horum se adjungeret, animo meditari. Placuit regem Olavum adire; ad quem cum venisset, liberaliter magnoque amoris affectu acceptus est. Ubi vero paulisper apud eum erat commoratus, die quodam mane ita accidit, ut magna ei circa regem hominum paucitas esse videretur, nec plures quam quindecim sedecimve viri. Rex in cœnaculo quodam ad abacum stans se abluebat, cumque lavisset, alius quidam [ad abacum accedens[3] eadem qua rex aqua se abluere voluit. Quem cum rex manu [depulsum desistere jussisset[4], Sverrerem Magnum nominatim appellans, eadem aqua se abluere jussit. Visus sibi est ab rege imperata facere; cum vero se abluisset, vir quidam subitum nuntium afferens, celeri cursu ædes ingressus omnes quam celerrime arma capere jussit, regis enim inimicos ad fores esse. Rex nihil esse periculi præmonens, suos gladiis assumtis egredi jussit, se scuto suo usurum eoque omnes protecturum. Quod a rege jussi sunt, faciunt. Deinde sumtum gladium suum huic juveni Sverreri dedit, traditoque insuper signo his verbis eum allocutus est: hoc signum accipe, domine, tibique animo persvadeas, te ab hoc usque tempore idem semper signum laturum. Ille sibi signum non sine aliqua mentis perturbatione in manus sumere visus est, quo facto rex scutum assumsit, omnesque una majori festinatione egressi sunt. Atrium, per quod egrediebantur, ei in longitudi-

[1]) *omitt. G.* [2]) *omitt. G.* [3]) *omitt. G.* [4]) depulisset, G.

nem ulnarum circiter sexaginta patere, neque, quoad sub tecto versabantur, signum satis alte erigi posse videbatur. Cum ad januam, qua egrederentur, pervenissent, septem armati eis occurrentes signiferum occidere voluerunt, sed rex ante eum cum scuto progressus, ipsum ceterosque omnes, ut nullo damno afficerentur, protegebat; atque dein in locum patentem amœnumque campum pervenere. Mox sibi visus est signum erigere, et in aciem regis Magni Erlingique dynastæ inferre, aciesque adversum progrediens extemplo inclinari[1]. Dein experrectus somnium animo perpendebat, quod etsi mirum videbatur, tamen se vana specie non delusum putabat. Idem somnium amicis, paucis tamen, aperuit, a quibus ita fere explicatum est, uti postea eventu est comprobatum. Quarum rerum cum ei in mentem veniret, animo[2] confirmatus est.

Sverrer ab occidente in Norvegiam proficiscitur.

6. Itaque Sverrer iter in Norvegiam paravit, quid sors ferre vellet, experturus. Quo cum venisset, virum quendam nomine Eysteinem, sibi patruelem, regium nomen sumsisse comperit. Quo audito cum ejusdem viri agendi rationem diligenter explorasset, multa ejus consilia et proposita juvenilia esse reperiebat; quæ res eum retinuit, quod huic se adjungere minus commodum esse putabat. Inde iter in partes regni boreales suscepit, quod Roius episcopus, educator suus, ei auctor fuisset, ut archiepiscopum conveniret, et huic iniquum rerum suarum statum aperiret. Cum in itinere esset, ex iis, qui a septemtrione venerunt, de multis rebus percontari cœpit. Paulisper in Selja commoratus est, quod eo loco notos sibi homines offendebat.

[1]) rarior fieri, *B.* -[2]) magnopere, *add. G.*

In his sacerdos quidam erat, qui ei omnia quæ scire cupiebat, diligenter exposuit; ex quo Sverrer intelligens, quam adversarium fratres sui archiepiscopum experti fuissent, parum adjumenti rebus suis ab eo, qui fratribus exitio fuisset, exspectandum putavit. Quam ob causam itinere meridiem versus reflexo patriam relinquere constituit. Nave oneraria Tunsbergum pervectus, inde orientem versus Kongelam contendit. In eo itinere sermonem cum ipso dynasta persæpe habebat, a quo se ita celare potuit, ut, quid in animo haberet quisve esset, expiscari nequiret. Sæpe quoque inter aulicos aliosve regios versabatur, quibus se adeo hilarem præbuit, ut assiduam e sermone ejus lætitiam et oblectationem caperent; quos sermone suo et prudentia ita excussit, ut de multis rebus, quas, gnari quis esset, aut quocum colloquerentur, patefacere noluissent, certior fieret. Diligenter animum advertit, an vulgus inter se verbis variaret, nemo enim dicta ejus suspecta habebat, nec quid in animo occultaret, sciebat; et hoc solum intelligere potuit, omnem multitudinem regi Magno favere. Kongela relicta, Ljodhusa iter faciens magna difficultate et labore conflictabatur, tandemque in Gothiam orientalem ægre pervenit. Tribus noctibus ante festum Jolense affinem suum Birgerem Brosam, qui amitam ejus Brigidam in matrimonio habebat, adiit, hisque rerum suarum iniquas conditiones exposuit; quibus expediendis aures parum faciles præbuerunt. Cujus rei duplex causa erat: una, quod, cum Eystein cognatus ejus factionem suam in eis partibus excitasset, nullum alium, dum viveret, opibus sublevare voluerunt; altera, quod ad aures Birgeris pervenerat, eum ludibrii ergo ab Erlingo dynasta eo missum esse. Hoc loco Sverrer festum

Jolense transegit, rerum suarum difficultatem sæpenumero dynastæ exposuit, ejusque sententiam, quid capiendum consilii esset, exquisivit. Sed accidit hic, quod sæpius usu venire potest, ut quidam adessent, qui magis invidiosi quam benevoli essent, quod quidem ipsum in magnum periculum adduxit. Nam, cum multi rerum imprudentiores[1] ea quæ narrabantur vera esse putarent, eum de medio tollere cupiebant; quod dynasta nullo modo fieri passus est, nisi manifesta quædam culpa in eo reperta esset; potius explorandas rerum suarum rationes censebat. Quo fine ei et vinum et mulsum, quo inebriaretur, bibendum datum est, si quod forte verbum, cujus causa criminis obnoxius morteve dignus judicari posset, ore ejus excideret. Cum vero Sverrer, qui semper de causa sua esset sollicitus, vinum et mulsum, quamvis abunde appositum esset, parum curaret, sed eo majorem cautionem sibi adhibendam esse putaret, quod intelligeret, responsa de omnibus rebus, quæ sua maxime intererant, dilata esse: hi, qui eum inebriare voluerant, nihil, quod ei crimini darent, invenerunt.

Sverrer in Vermalandum proficiscitur.

7. Festo Jolensi elapso, quod, quæ ipsi placerent de negotio suo responsa ab dynasta non retulisse sibi visus est, iter in Vermalandum convertit, haud sane numeroso comitatu stipatus, inde enim non nisi uno comitatus discessit; in quo itinere gravi tempestate et labore conflictabatur. Cujus fortuna simillima erat fatis regiorum puerorum, quos veteres historiæ ab diris novercarum imprecationibus exagitatos fuisse memorant; nam sex septemve dies continuos per vastas et incognitas solitudines erra-

[1]) intelligentes, G.

bundus pervagabatur, et interea famem et frigus tolerabat. In Vermalandum delatus, obvios habuit homines, qui a Norvegia advenerant. Qui diligenter inquirenti, quid novi adferrent, res memorabiles narrare habuerunt: regem Eysteinem a partibus borealibus orientem versus in Vikam profectum cum rege Magno [ad Reum[1] conflixisse et unacum magna suorum parte cecidisse; quibus fortuna pepercisset, in Vermalandum aut Thelamarkam aut meridiem versus in Daniam profugisse. Quibus rebus cum Sverrer dolores suos et difficultates magnopere crescere sensisset, tum primum ad sororem Ceciliam confugit, quæ, ut primum de adventu fratris certior esset facta, ad eum excipiendum convivium paraverat. Qui cum convenissent, ea valde delectabatur eumque perquam comiter excepit. Dein, quid capiendum consilii esset, in commune deliberabant, neque enim ei tum tutus in Norvegiam reditus erat, quod jam fama de rebus et itineribus ejus divulgari[2] cœperat; quare ei tutissimum visum est, exteras ignotasque regiones petere, ibique aliquantisper exspectare, dum Deus rebus suis aliquid levamenti afferret.

Birkibeini causam suam coram Sverrere agunt.

8. Jam tenuis illa factio, quæ ducem nuper amiserat, filium regis Sigurdi Bronchi in Vermalandum pervenisse audivit. Quo cognito singuli eum adeuntes orarunt, ut rerum suarum curam imperiique summam in se susciperet. Verum hæc multitudo magna affecta erat ignominia, quidam graviter vulnerati, alii vestibus spoliati, et pæne omnes inermes. Præterea omnes tam juvenili ætate erant, ut ad magna suscipienda consilia minus idonei viderentur. Quibus ille sic respon-

---

1) *add. B, F.* 2) in Norvegia, *add. G.*

dit: mihi quidem nostra conditio ad magnas res gerendas præclaraque facinora suscipienda nullo modo idonea esse videtur; vos enim omnium rerum egeni estis, egomet inops vobisque ignotus; et facile intelligere poteritis, si vobis displicuerit nostra ratio, vos haud satis scire, cui vestram operam addicetis. Eo quoque loco sum natus, ubi homines tantis inceptis et negotiis parum adsveti sunt, paucaque nobis ad communem societatem congruere videntur, præter inopiam pecuniæ rerumque iniquitatem; quam ob rem vestræ fortunæ cumulum meis curis addere recuso. Quoniam vero me supplices adiistis, consilium vobis dabo, quod non sine effectu fore arbitror: affini meo Birgeri et Brigidæ tres sunt filii, quibus regni obtinendi jus æque ac regi Magno Erlingi filio competit. Eo profecti unum ex his ducem vobis ab eo poscite. Mihi quidem, vestram multitudinem diligenter consideranti, et animadvertenti, quam parum unus vestrum ab altero differat, hujus factionis imperium suscipere minime convenit; nam pervideo, quanta iniquitate res nostra laboret, maxime ejus rei causa, qua maximo utrorumque damno caremus, cum vero simile sit, in vestro comitatu reperiri neminem, qui reipublicæ administrandæ peritia tantum valeat, ut Erlingo dynastæ resistere possit. Ego vero, in scopulo ab aliis terris longe remoto natus, qui mores aliorum hominum parum cognoverim, antequam vestram in terram perveni, cum ad excogitanda consilia minime idoneus sum, tum multo minus curandi exercitus aut reipublicæ administrandæ peritus; quin, nulli omnino rei aptus, omnibus hominibus ignotus sum; nec quisquam meam familiam novit, cujus omnes ignari sunt, præterquam quod ipse solus de ea refero. Hinc fieri potest, ut mihi idem, quod vestro priori

duci, objiciatis, ignorare vos, quibus ortus sit, cui studia vestra applicueritis. Quæ res, ubicunque adversariis vestris occurreritis, vobis opprobrio erit. Genus filiorum Birgeris omnes, meum nemo novit.

Birkibeini dynastam Birgerem Brosam conveniunt.

9. Itaque hi Birgerem Brosam super eodem negotio convenerunt. Qui calamitatem eorum magnopere dolens ita locutus est: mei, inquit, filii puerili ætate sunt, nec sibimet ipsi, nec aliis consulere possunt. Qui quominus tanto negotio pares sint, ætas puerilis maxime obstat; quo accedit, tum quod in vestro cœtu exiguam video copiam eorum, qui filiis meis prospicere queant, tum quod nullum hinc exercitum educere licet; Norvegi enim Gothicas copias per fines suos iter facere, moleste ferent. Quoniam vero in congressum meum venistis, unum vobis dabo consilium, quod quem habiturum eventum sit, penes Deum est. Regis Sigurdi filius proxime elapsum festum Jolense apud nos transegit, quem nunc in Vermalando versari arbitror; hunc vobis ducem sumite, neque enim ei ætas matura neque facultates ingenii desunt: hunc orate, causam vestram ut suscipiat. Illi contra: convenimus hunc virum, at repulsam tulimus. Dynasta eo magis hortari, dicens: mihi quidem animus præsagit, vos, nisi ab hoc principio, nullo rerum vestrarum successu usuros; quare, agite, ad eum redite, si meo consilio uti vultis. Atque ea a me verba ad eum perferatis, me ei quantam præstare potero amicitiam polliceri, eique hic, quocunque in Sveciam venerit, exercitum tuto continere pacataque regione uti liberum esto. Eam ei proponite conditionem, ut aut communi vestrum necessitati subveniat, aut vos eum de

medio sublaturos denuntietis. Illi interea, dum ad Birgerem dynastam iter facerent, constituerant, qui Sverrerem custodirent; nam hic Hierosolyma proficisci statuerat, neque enim se quenquam, a quo posset auxilium exspectare, in Norvegia inventurum arbitrabatur. Tanta enim crudelitate rex Magnus Erlingusque dynasta totam eam familiam tractaverat, ut nemo Sigurdum aut Hakonem regio nomine appellare mentionemve facere auderet. Igitur iidem viri ad Sverrerem cum literis regis Knuti et Birgeris dynastæ redierunt, eumque ita sunt affati: ne verba nostra nihili facere videaris, exorari te patiaris, hanc tenuem factionem ut adjuves; et uti antea in causa tua commendanda parciores fuimus, ita nunc pollicemur, nos regnum tuum usquequaque quantum poterimus adjuturos et confirmaturos. At quamvis eum his blandis verbis adducere conarentur, tamen, cum se tantæ rei omnino imparem sentiret, preces eorum aspernatus est. Tum demum ultimorum dynastæ Birgeris mandatorum recordati, eum ex duabus conditionibus alterutram eligere jusserunt, utrum rebus suis opitulari, an primo quoque tempore ultima pati mallet, his eum verbis adeuntes: etsi jam diu cognatis tuis obsequium præstitimus, et patris tui causa patres nostros, fratres, cognatos fere omnes, tutamque in patria mansionem perdidimus, atque etiam nunc universi nos denuo periculis pro te ultro offerimus: tamen tu et nosmetipsos et tuum ipsius honorem nihili facere non dubitas. Nunc igitur certo scias, nos te cum omnibus cognatis tuis interficere, pacemque hoc modo a rege Magno pacisci statuisse, qui tibi antea fidelissimi fuimus, nunc crudelissimos futuros. Quibus rebus cum causam suam adhuc difficiliorem reddi intelligeret, re animo secum

perpensa, si ad conditionem illam ultimam descendisset, suam et cognatorum familiam propediem exstinctum iri prævidebat. Quocirca factum est, ut die solis ineunte jejunio quadragesimali consiliorum et bonorum societatem jungerent. Die lunæ proxime insequenti septuaginta[1] viri in Sverreris verba jurarunt, quorum alii aulici, alii speculatores, alli stipatores domestici facti sunt.

Somnium Sverreris.

10. Sverrer proxima nocte somniavit, se Borgæ in orientali regni parte, qua Albis Romorum in mare influit, versari, itemque regem Magnum et Erlingum dynastam in eodem oppido cum copiis suis adesse. Sensit per quietem suspicionem aliquam exstitisse regii cujusdam filii, qui in oppido versari vulgo credebatur, totamque multitudinem in eo conquirendo occupatam esse, se vero ipsum hac suspicione peti. Itaque ex oppido se clam subducens in templum Mariæ, sibi forte oblatum, ad sacra celebranda introire sibi visus est, ubi cum in supplicando esset occupatus, vir quidam accedens, prehensa manu, eum in cellam a foribus sacrarii in septemtrionem versam duxit, et ita affatus est: sequere me, frater, est quod tecum secreto loquar. Visus sibi est eum comitari, vultumque ejus diligenter observare. Hic decrepiti senis speciem præbebat, capite niveis canis albicante, barba promissa, vestibus admodum demissis, facie rubente, capillo undique curto, visuque majorem in modum terribili. De adventus talis viri causa anxie cogitantem cum senex sentiret: ne metuas, inquit, frater, a Deo enim missus sum. Quo dicto genibus ejus humi accidens

[1]) octoginta, *H.*

interrogare sibi visus est: quis es, domine, ut certo sciam, te a Deo missum esse. Senex iterum respondens, Sverrerem bono esse animo jussit, se ad eum a Deo missum esse confirmans. Quo ipso pari, aut etiam majori timore perturbari sibi visus est. Tum senex eum prehensa manu evectum ita tertio compellavit: ne metuas, frater, pax tecum! ego enim sum Samuel, vates divinus, qui Dei mandata ad te perferenda habeo. His dictis e pera, quæ de collo pependit, cornu, in quo chrisma esse videbatur, extraxit. Tum senex Sverrerem ita affatus est: ostende mihi manus tuas. Ipse utramque manum mox porrigere sibi visus est. Idem vir manus ejus unxit, dicens: hæ manus consecrentur et confirmentur ad odium in inimicos et adversarios tuos, ut multis populis imperes. Quibus dictis Sverrerem osculatus, prehensa dextra, sic compellavit: ex confertorum hostium globo, quo circumdaris, orientem versus elabi conare; rex enim fies. Sverreremque iterum osculatus: fortis ac robustus sis, te enim Deus adjuvabit. Dein somno experrectus, duodecim viris, qui in eodem atque ipse cubiculo dormiebant, hoc somnium extemplo retulit, quod quidem omnibus et magnum et memorabile videbatur, suisque omnibus haud ingratum exstitit. Cumque ab iis, ut somnium interpretarentur, peteret, neminem, qui rem aggredi auderet, reperiebat, omnibus tamen eum faustis ominibus somniasse putantibus. Intelligens autem, hoc somnium non explanatum iri, monuit, ut hæc sibi in somnis oblata esse dissimularent. Sed omnes, qui aderant, viso hoc somnio magnam animi ejus commutationem factam animadvertisse sibi visi sunt. Quæ omnia animum ejus valde sollicitum habuerunt, quum in ignota terra, incolis omnibus ignotus, versaretur. Quo acces-

sit, quod uno tempore, simul atque satellitium sibi legerat, omnis cura eorum, qui ipsius ministeriis sese addixerant, in eum devoluta est, quod in hoc globo, cujus imperium jam susceperat et quocum fortunam suam copulaverat, præter ipsum solum reperiebatur nemo, qui ad excogitanda consilia idoneus esset.

De rege Sverrere.

11. Hac igitur factione,[1] die Mercurii [jejunii quadragesimalis[2], recepta, non amplius septuaginta[3] comitatus viris, Hamare in Vermalando profectus in Vikam contendit. Quo temporis spatio tantus copiarum numerus ad eum confluebat, ut, cum in tractum Vikæ Sorbæos dictum ventum esset, quadringentos et viginti viros haberet. Hic consilio convocato, regium nomen, quod sui ei dare voluerunt, recusavit, magis convenire dicens, causam suam veris quibusdam argumentis ante testatam dari. Quod illi se audire nolle testantes, negarunt se ei operam ea conditione daturos, ut ceteris, qui eum sequerentur, non esset dignitate superior. Itaque primo die solis jejunii quadragesimalis regium ei nomen dederunt, in verba ejus jurarunt, gladiumque ejus tetigerunt. Neque vero diu hanc factionem rexerat, antequam quod fore suspicatus erat, evenire intellexit, se consiliis eorum non posse multum adjuvari. Quibuscum dum in Vika versabatur, mores eorum agendique rationem diligenter observans, perquam varios esse animadvertit, alios bonos viros et moderatos, alios turbulentos et inquietos. Hic ei in mentem venit tentare, an ea multitudo alius cujusquam rei, quam rapinarum ac tumultuum causa

[1]) proxime insequenti, *add. G, B.* [2]) quem appellamus diem cinerum, *G, B.* [3]) octoginta, *H.*

sequi se vellet. Quam ob rem, cum in Vika populationem facere nollet, sed potius de regno, cujus heres jure natalium erat, dimicare mallet, in Vermalandum reversus est. Inde comparato itinere in boreales regni partes proficisci statuit; cumque ad silvam Eidensem pervenisset, inito militum numero, multos reperit, qui parva cum fide ejus partibus se adjunxerant, potiusque, ut rapinas exercere possent, quam quod pro regis sui honore dimicare vellent. Quæ res eum habuit exitum, ut lustratis copiis, ex [quadringentis et octoginta[1] viris tantum haberet octoginta[2]. Quapropter, cum tantillas haberet copias adversus tam immensam multitudinem, cum qua erat dimicandum, a proposito se dejectum esse intelligebat. Neque enim ei exercitui, qui se tam septemtrionem versus quam a septemtrione sequi nollet, credendum esse judicabat. Namque illi populationibus et rapinis ad multitudinem adversus se concitandam, quam ad se in periculis adjuvandum, promtiores esse videbantur. Quæ res eum valde anxium habuit, quod a quibus fere ab initio invitus creatus rex fuisset, ab his postea male desertus esset. Nunc igitur rebus suis animo pensitatis, sibi non esse facultatem videbat ab hoc exercitu discedendi, quod hi, qui eum potissimum sequi voluerunt, eum diligenter custodiverunt. Qua de causa iterum in Vermalandum reversus, festum paschatis apud sacerdotem quendam, qui ad eum excipiendum magnificum appararat convivium, transegit. Post hæc literas in Norvegiam ad Thelamarkenses, qui cum rege Magno et Erlingo dynasta dissidebant, misit, his aliqua privilegia, si studia sua ad se converterent, pollicitus est, eosque, si

1) *ceteri;* trecentis et sexaginta, A. 2) septuaginta, *B;* nonaginta, *H.*

qua in re sibi obsequi aut opitulari vellent, in boreali regni parte se convenire jussit.

De itinere regis Sverreris.

12. Hebdomade paschali elapsa, cum se intelligeret in regni partes septemtrionales non posse pervenire, nisi ignotas quasdam semitas cum labore ingrederetur, quod, posteaquam nuntiatum est, factionem in orientali regni parte instauratam esse, tantus tota regione apparatus erat, ut omni terræ aditu, qua loca frequentius erant habitata, excluderentur: id consilii capiendum putavit, ut iter mare orientale versus converteret. Dein primam silvam, quæ duodecim[1] milliaria in longitudinem patebat, emensus, in tractum Ækensem[2] pervenit. Inde profectis iter per silvam, quæ [illam longitudine æquabat[3], faciendum erat, priusquam ad locum Molungum[4] dictum pervenit. Inde per silvam, quindecim[5] milliaria longam, in Jarnberalandum pervenit. Quibus omnibus in silvis nihil, quo vescerentur, præter avium alciumque carnem, habebant. In hoc itinere multæ res graves et molestæ iis acciderunt; nam loca deserta valde diu pererrantes, famem, frigus magnosque labores tolerabant; neque equis aliisve jumentis ibi ullus erat usus' quod ipsum anni tempus, quo nives in silvis et glacies in fluminibus liquabantur, itinera reddebat difficillima. Jam per loca uliginosa aut magnas paludes, jam per angustas silvas aut spatiosas concædes iter faciebant. Jarnberia sub imperio regis Svionum est, et tunc temporis a paganis incolebatur, qui cum ante id tempus nunquam regem per terram suam iter facientem vidissent, regiis itineribus parum adsveti erant;

[1]) *ceteri;* tredecim, *A.* [2]) Rikensem, *B, F, G.* [3]) *B;* valde longa erat, *A;* multo longior erat, *F.* [4]) Mastungum (v. Mastungas) *F.* [5]) duodecim, *G, B.*

quinimo, nemo fere ex his inventus est, qui regios agnosceret, aut homines animaliane essent sciret; quare iter per adeo stultas nationes facere, perquam molestum erat. Sed Deus omnipotens Sverreri regi tam singulari benevolentia adfuit, ut ab illis hominibus, simul ut verba ejus audivissent, benigne exciperetur, liberique commeatus facultatem impetraret. E Jarnberia iter per silvam, quæ duodeviginti milliaria in longitudinem patebat, in pagum Herdalos[1] apellatum, qui ipsius ditionis erat, contendit. Inde per silvam, triginta[2] octo milliaria longam, profectus est. Qua in silva inopia alimentorum adeo laborabant, ut quo vescerentur nihil haberent, præter corticem et librum arborum, et baccas, quæ per hiemem nivibus obrutæ jacuerant.

Miraculum in gratiam regis Sverreris factum.

13. Forte accidit, ut magnus in silva quadam lacus regi Sverreri transeundus esset. Quibus locis cum nulla esset in propinquo navium facultas, rates e materia fecerunt, tres quatuorve conjunctim, prouti occasio ferebat. Quæ vero regem tresque alios transportaret exigua rates, cum haud longe a terra delata esset, ita sidere cœpit, ut, qui ea vehebantur, medio crure tenus aqua tegerentur; lacus autem in latitudinem dimidium milliarium patebat. Hoc ipso temporis momento vir quidam in ripam lacus decurrit, itinere admodum fessus; tunc enim in vastissima silva versabantur, ac duo jam præterierant dies, quibus agmen nihil cibi sumserat. Hic vir eos, qui rati vehebantur, inclamans auxilium imploravit, se lassitudine exanimatum dicens; tunc autem cetera pars militum lacum jam transierat. Rex, clamore audito, viro intereundum esse intelligens, nisi ab iis reciperetur, etsi rates por-

[1]) Dalos, *F*; Herdalum, *A*, *H*. [2]) centum, *H*.

tandis quos jam antea sustulerat impar esse videbatur, tamen rati ad ripam admota hominem magno vectorum periculo recepit. Qui cum intra ratim receptus esset, aqua super genua exundavit; trajectoque hoc pacto lacu, ad caducæ arboris truncum adpulerunt, et e rati egressi sunt. Rex, qui novissimus exibat, gradum vix retraxerat, cum rates saxi instar subsidit. Quæ res cum jam tum omnibus memorabilis atque mirabilis visa sit, nunc nemini non apparet, illam ratem onus portasse, quod maximis rebus, quæ nondum erant gestæ, destinatum, majorique, quam tunc erat, dignitati reservatum esset, quandoquidem rates, onus hominum ferens, aquis innatabat, simul autem ut egressi erant, subsidit. Exin duas noctes in solitudine versabantur, nihil habentes quo famem depellerent, præter libros arborum et betulæ succum; ut totum agmen tertio die viribus pæne exhaustum esset. Illi tamen iter per hanc solitudinem adeo contendebant, ut tantum tredecim[1] milliaria, eaque brevia, restarent. Cum vero objectum forte ingentem fluvium trajecissent, ut quique transierant, in ripa decubuerunt, neque longius ob lassitudinem, qua jam erant confecti, progredi voluerunt. Rex, qui novissimum agmen claudebat, duoque alii per longum spatium secundo flumine abrepti, tandemque ad terram delati, requieverunt. Hic rex suos dictis confirmavit, tractus habitatos brevi inde spatio abesse dicens, spem faciens, si tandem aliquando ad christianos homines pervenissent, fore ut lætior rerum conditio affulgeret.

De itineribus regis Sverreris.

14. Post hæc rex in fines Jamtorum venit. Qui cum ei resistere conarentur, Sigurdum

[1]) quatuordecim, *G, F, H;* duodecim, *B.*

Saltnesium præmisit, existimans, id quod eventus postea docuit, eos, dum ipse dux non adesset, minus posse callida consilia cavere. Nam in hoc itinere Sigurdus omnibus navibus, quas ad tuendam regionem paratas habebant, potitus est. Qua re factum est, ut coloni, navibus destituti, adventu ipsius regis ad deditionem confugere cogerentur. Ibi multi erant ex præfectis Magni regis, qui omnes ad pacis conditiones descenderunt. Ibidem convivia regi apparata, omnia officia hospitalitatis præstita, datique milites quadraginta[1]. Inde, his confectis rebus, digressi iter continuarunt, tantis circumventi difficultatibus, ut quinque dierum spatio nemo cibum sumeret, nemo somnum caperet; rex enim famam de adventu suo præcurrere noluit. Nocte, diem Veneris, qui proximus erat ante festum pentecostes, præcedente oppido adpropinquavit. Quorum cognito adventu, oppidani cum mille nongentis viginti militibus flumen Nidam transgressi adversus eos contenderunt, ducibus Sigurdo Nicolai[2], Eiriko Arnii, Ivare Hortio, Ivare Selkio[3] et Ivare Gjavaldi filio. Quo animum adverso rex ipse uno nomine Jone[4] comitatus speculatum profectus est, hostiumque exercitui sese intermiscuit; cumque certo comperisset, quanto esset numero copiarum inferior, prælii fortunam cum centum et viginti viris adversus mille [nongentos viginti[5] periclitandam non ratus, ea vice se cum suis recepit. Interea collecta Selboensium manus, numero octingenti quadraginta, eos a transitu prohibere statuit, cum milites regis Sverreris adeo essent perpetuis vigiliis affecti, ut requiescere cogerentur. Ita-

---

1) *ceteri;* sexaginta, *A, B.* 2) *F, G;* Nicolagi *aut* Sticolagi, *A.* 3) *G;* Snerko, *h. l. A* (*in seqv.*, Silkio); Silkio, *F, B, H.* 4) Hæine, *add. A.* 5) quadringentos quadraginta, *B.*

que rex ad Vigleikum Digriniensem misit, ut milites suos aleret, cui ille mandato libenter obtemperavit. Cum vero inde discederent, Deus rem Sverrerianam sic expedivit, ut rex ac sui manum Selboensium a navibus intercluderent, omnes eorum naves caperent, mox tractum ingrederentur ab his habitatum, qui vitæ eorum insidiari libenter cupiebant, atque res familiares ingratiis possessorum insiderent. Domos reversis ea sola reliqua conditio fuit, ut se omnia quæ postularet rex facturos pollicerentur; ille stipendium, dimidii mensis cibaria, iis irrogavit. Tum se rex in insula lacus Selasoi, ab eo tempore Regia dicta, continebat. Hinc noctu, omnibus præterquam ipsis inscientibus, discesserunt, et in montem, Vazfellum appellatum, deverterunt, ibique se continebant a nemine animadversi, ipsis omnia, quæ in oppido agerentur, facile prospicientibus, multaque, quæ in ipsos jactabantur, exaudientibus. Probe quoque animadverterunt collectas a Gauldalensibus copias, quæ, cum nullos hostes in propinquo animadverterent, dilapsæ sunt. Quo viso Birkibeini, vestigiis eorum inhærentes, omnibus inopinantibus tractum habitatum ingressi sunt; quo facto illi omnia, quæ a rege postularentur, libenter annuere coacti sunt. Qua re celeriter ad oppidanos perlata, manum ex oppido ad eum intercipiendum emiserunt. Hic quoque rex unacum suis in præsens recessit, et in Soknadalum adscendit; quo cum venisset, cognovit, Rutum[1] cum octoginta viris bene armatis a Thelamarka advenisse, qui nuntiis et literis, quas ad Thelamarkenses ab rege missas esse supra commemoravimus, exciti, eo profecti erant. Quibus rebus magnopere gavisus rex, obviam eis in Reknaboum adscendit.

[1]) *ceteri;* Knutum, *A.*

Victoria regis Sverreris.

15. Post hæc revertitur, centum et octoginta viris stipatus. Pergunt ad ostium fluminis Gaulæ, quod pontonibus trajecerunt. Ex his viginti, qui primi flumen trajecerant, rex speculandi causa præmisit, præfecto Jone Gunnaris[1] filio. Oppidani quoque exploratores emiserant, numero septem. Utrorumque exploratores in itinere congressi; quinque[2] ex oppidanis interfecti; unus captus; unus effugit, qui nuntium oppidanis attulit. Quo cognito oppidani instructum exercitum mille quadringentorum quadraginta virorum eduxerunt. Hic Ivar Hortius: nunc hostibus imponamus, inquit, partemque exercitus occultemus, neque enim toto conspecto exercitu committere prælium ausuros opinor. Dein octingentos quadraginta milites juxta aggerem quendam collocarunt, qui concursu ceterorum facto ab aperto latere impetum facerent. Eo quoque audaciæ progressi sunt, ut sumtum vexillum sancti regis Olavi adversus regem Sverrerem, quo loco præfecti et coloni in acie versabantur, ferri juberent; quæ res, quem mox audietis, exitum habuit. Viro, qui vexillum ferebat, equus datus est, quo admisso ceteros insecutus, cum impetum equi cohibere non posset, in duo viros irruit, quorum alter mortem extemplo oppetiit, alter tam fœda vulnera accepit, ut nunquam postea in integrum revalesceret; ipse equo delapsus, vexillum amisit. Rex suos contra sexcentos illos, qui in acie erant constituti, instruxit, et sagittarios una collocavit; singuli milites pro se quisque telis fortiter utebantur. Illi vero, qui juxta aggerem constiterant, rem prius non animadverterunt, quam stridentes sagittæ capita eorum supervola-

[1]) Gudrunæ de Sanneso, *G*; Gudrunæ de Sando, *F*, *B*; Gudrodi de Sando, *H*. [2]) quatuor, *B*.

rent. Hinc factum, ut hi omnes, in quibus sitam victoriam Ivar existimarat, initium fugæ facerent, et unus ex altero in pedes se conjicerent: illi vero, quos ratione habita copiarum numeri inferiores esse oportuisset, victoria triumpharent. In hoc prælio rex Sverrer Ivarem Silkium[1] et Ivarem Gjavaldi filium, et præterea amplius centum viginti milites dejecit. Vexillum regis Olavi sancti ceperunt, et in oppidum, splendida reportata victoria, intulerunt. Principes, prælii superstites, huc illuc, ut mures in cava, discurrerunt. Captus eodem prælio Eirikus Arnii filius. Post hæc homines pacem sibi pacisci cœperunt, multique nunc Sverrerem, in quem antea classicum magna superbia cecinerant, humiliter adierunt. Ceterum rex Sverrer Deo omnipotenti, sanctæ Mariæ Deiparæ et regi Olavo sancto gratias pro hac splendida victoria a Deo concessa egit; gratumque animum eo testatus est, quod omnibus pacem petentibus concessit. A proceribus autem, quorum complures effugerant, nisi præcavisset, paratas sibi insidias fore, pro certo habuit. Hac itaque pugna pugnata exploratores ab oppido tam exteriora quam interiora versus dimisit, qui cum tres noctes abfuissent, nuntium retulerunt, Thrandos Interiores duo millia quadringentos[2] milites contraxisse, et jam in itinere esse, Ivarem vero [quinquaginta naves[3] extra ad Raudabjarga habere. Quibus omnibus regi uno tempore nuntiatis, sibi non morandum esse ratus, ad naves cum suis decurrit, et undecim celoces comparavit. Qui haud longe ab Holmo per exteriora provecti, classem Thrandorum Interiorum ab interiori sinus parte advehi conspexerunt, qui deinde tam prope accesserunt, ut ad ictum teli venirent; quinquaginta[4] vero

1) Selkium, *G.* 2) *omitt. F.* 3) naves longas, *H.* 4) quadraginta, *G, F;* novem, *B.*

onerariæ ad Raudabjarga in ancoris stabant. Hos, quod omnes mercatores erant a Vogis profecti, adoriri rex noluit, nam rex Sverrer mercatoribus, qui quidem suo se modulo metiri scirent, nihil inferre damni voluit. Ibidem duodecim[1] celoces unaque navis longa, ab Ivare contractæ, stabant, quæ prælium cum Birkibeinis committere non ausæ, fugam statim capessiverunt; quo facto rex ad Agdanesum provectus, in novem[2] celoces incidit, quas confestim adortus est. Hi negotio ita defuncti sunt, ut contusiones et ignominiam vestibus et armis mercarentur, omnesque quas secum habebant res pretiosas amitterent. Inde per exteriora Folsknam provecti, in navem onerariam, quæ Ivari erat, rebus onustam, quarum pretium sex auri selibras æquavit, inciderunt, easque res ceperunt. Quibus confectis rebus, meridiem versus in Mæriam profecti, [duodecim aut tredecim[3] celoces offenderunt, quibus eædem atque superioribus conditiones sunt propositæ; utrique enim, nisi gigantes [inter ædes et ovile (os et offam) intervenissent[4], ad Ivarem se conferre statuerant.

Sverreri nomen regium comitiis Eyrensibus datum.

16. Post hæc rex septemtrionem versus in Thrandheimum reversus, cum ad oppidum pervenisset, ea qua par erat observantia, pulsatis toto oppido campanis solemnique pompa, ab oppidanis exceptus est. Dein indici comitia Eyrensia jussit, et viros duodenos ex singulis octo pagorum, qui intra Agdanesum sunt, legit. Qui cum advenissent, Sverreri nomen regium in horum octo pagorum comitiis datum, regnumque

1) undecim, *G*, *B*. 2) undecim, *F*, *H*. 3) tredecim, *G*, *F*; quatuordecim, *B*. 4) vel: dominum a domo interclusissent, i. e. nisi ineluctabilia impedimenta objecta fuissent.

et cives ex priscarum legum instituto armorum crepitu adjudicati et jurejurando addicti sunt. Harum rerum fama cito divulgata ad aures regis Magni et Erlingi dynastæ pervenit. Qui, exercitu statim contracto, cursum septemtrionem versus secundum litora direxerunt. Quo cognito rex Sverrer, haud exspectandum hostium adventum ratus, militibus in naves impositis, in Orkadalum profectus est; hic subductas naves igni injecto omnes concremaverunt. Quo facto iter in Uplanda converterunt, cumque trajecto monte Dovrico in Gudbrandsdalos pervenissent, ibi comitia habuerunt, quibus dimissis ad lacum usque Mjorsum nominatum pertenderunt. In hoc lacu collectæ erant copiæ præfectorum, qui duodeviginti naves habebant; eo loco tres aderant præfecti, Halvardus[1] Sastadensis, Sæbjorn[2] Sindrii filius et Ivar Gæslingus[3]. Præterea alias copias in continenti contraxerant, homines mille quadringentos quadraginta; rex autem Sverrer ducentos quadraginta milites habuit. Qui cum sententias militum, quænam ineunda ratio esset, exquireret, omnes dimicare cupiebant. Quibus rex: equidem vobis hoc nequaquam conducere existimo; nam hi, quibuscum congrediendum nobis est, adversarii numero copiarum multo superiores sunt. Enimvero injurias mihi illatas callidiori ratione vindicandas arbitror, quam in tales laqueos incurrendo; nam neque patri aut fratribus, neque compluribus majoribus meo interitu aut fuga parentabitur. Inde regis auctoritate profecti tridui[4] iter fecerunt. Rex sexaginta[5] viros in Hadalandum ad lacum, Randam appellatum, præmisit, qui quicquid ibi navium erat, ceperunt. Cum autem rex eodem venisset,

[1]) Ivar, *B.* [2]) Snæbjorn, *B.* [3]) Gællingus, *B.* [4]) diei, *B.*
[5]) quadraginta, *G, cet.*

ternas offendit copias contractas, in duobus locis trecenos sexagenos, in uno sexcentos homines. Tum rex, copiis in duas partes divisis, ipse centum viginti milites retinuit, alteros centum viginti domum Ozuris Ballii[1] misit, ubi res, quæ pretium viginti auri selibrarum æquabant, prædati sunt. Qui dum aberant, rex, cum interea nihil agere nollet, cum reliqua parte copiarum exercitum trecentorum sexaginta militum adoriri instituit. Quo constituto, cum utrique se pro facultate comparassent, inter se concurrerunt. Ut vero Birkibeini arma sublata vibrare cœperunt, coloni terrore perculsi, prudentiori inita ratione, arma projecerunt, pacem petierunt, timorisque indicia ostenderunt. Rex, superioris temporis consvetudine usus, omnibus petentibus pacem concessit. Ceteri quoque, qui ad exercitus fuerant, successu sociorum cognito, pacem cum rege fecerunt; tumque Hadalandum, nullo superiorum temporum exemplo, stipulato obsequio in fidem acceptum, convocataque concione conventus pacificatorius ab rege indictus. Verum coloni hunc conventum, pacis componendæ gratia institutum, insidiis carere non passi sunt. Nam, cum regem exigua stipatum manu vidissent, eum in conventu aggredi instituerant. Cum autem illi, qui erant ad bona Ozuris diripienda profecti, die quo haberetur conventus, eodem advenissent, rex majorem quam coloni militum numerum habuit; unde factum ut nihil quicquam, secus quam juberet rex, facere auderent: hic vero quæcunque ipsi placerent imperavit, illis omnia ab rege postulata annuentibus. Sic verbo quidem inter se reconciliati sunt; res autem declaravit, id quod antea usu venerat, animos colonorum non omnibus dolis esse vacuos. Nam

[1]) *P*; Hislii, *A*; Brislii, *F*; Bilsii, *B*.

id consilii ceperunt, ut ad Ormum regis fratrem mitterent, ut, si fieri posset, solutis e Vika navibus (tunc enim in navibus se continebat) regem adoriretur: se vero effugere conanti occursuros. Quo nuntio motus Ormus, magno contracto exercitu, ingentes naves e lacu, Tyrvio dicto, pertrahendas curavit, inde in Randam adversus regem Sverrerem, qui ibi in navibus se continebat, copias ducturus. Erant in Heidmarka, regis impediendi causa, naves duodeviginti, in lacu Mjorso stantes. Qua re cognita, rex Sverrer novam consilii viam ingressus est. Simulavit se adversus Ormum profecturum, omnesque speculatores suos in eam partem emisit. Ipse vero cum quadraginta suorum in silvam egressus, arbores cædendas curavit, nemine, quid istud sibi vellet, intelligente; suis autem præceperat, ut ad se venirent: quod et fecerunt, atque in eum locum, ubi versabatur, pervenerunt, ibique noctem transegerunt. Postero mane, prima luce, tubæ sonare, totus exercitus surgere, omnibus quæ fieri rex vellet insciis. Cum autem sui vestes induissent, præcepit, ut naves, quæ in Randa stabant, per spatium quinque milliarium, qua ante id tempus nunquam traductæ naves fuerant, pertraherent. Jam non erat, cur quæreretur, quid sibi vellet illa materia, quæ in silva fuerat cæsa; nam tum apparebat, scutulas esse. Itinere non prius destiterunt, quam in Mjorsum pervenerunt; quo cum venissent, præfectos, qui ibi aderant, subito navibus aggressi sunt. Quorum congressus eum habuit exitum, ut, qui Deo placuisset, victoriam reportarent: rex omnes suos hostes expulit. Qua regione purgata, rex in emporium Hamarense profectus comitia habuit, nemine voluntati ejus obloquente.

Præfecti a rege pulsi, in lacus partes meridianas recesserunt, ut longo spatio abessent; lacus enim Mjorsus tantæ magnitudinis est, ut mari (quam lacui) similior esse videatur.

Congressus regis Sverreris cum præfectis.

17. Halvardus Sastadensis unacum aliis præfectis magnificum convivium Sastadis apparavit, ad quod quotquot interesse vellent, ut quam maxima celebraretur frequentia, invitavit; erat enim ibidem eo tempore natalis templi dies celebrandus. Cui convivio trecenti sexaginta homines intererant: et tamen plures advenere, quam qui invitati erant. Nam Birkibeini quoque ad natalem templi diem celebrandum aderant, atque tum se ad prælium pararant. Itaque utrique, acie instructa, concurrentes tela inter se conjecerunt. Nec mora, præfecti cum suis fugam capessiverunt, septem militibus interfectis, quinque captis. Sic qui invocati venerant, convivium obierunt, qui apparandum curarant, expulsi sunt. Hi ad Ormum regis fratrem fuga se receperunt, rei exitum parum honorificum conquerentes. Dein rex Sverrer a captivis, quibus locis naves hostium occultatæ essent, exquiri jussit; quo indicato, omnes quæ in Mjorso erant naves, tam majores quam minores, cepit. Hic cum omnium præfectorum, eorumque qui aufugerant, bonis, tum etiam omnibus prædiorum mercedibus, quas rex Magnus Erlingusque dynasta sibi reservarant, potitus est. Jam rex Sverrer tota Uplanda et Valles Orientales suæ ditionis fecerat; eorumque, qui ejus rebus studebant, conditio in dies melior fuit, quam eorum, qui animum ab eo avertebant. Quare, quo magis apparebat, ejus opes non tam magnitudine copiarum, quam consiliorum solertia crescere, eo majori cupiditate homines in partes ejus tra-

hebantur. Quibus rebus tanta ad eum confluxit hominum multitudo, ut[1] trecentos sexaginta milites haberet. Post hæc rex Magnus et Erlingus dynasta in Vikam profecti, cum famam de rebus a Birkibeinis gestis, quas modo commemoravimus, accepissent, tota Vika delectu habito, tantum exercitum contraxerunt, ut immensa esset multitudo. Ceterum rex Sverrer, cum suæ prudentiæ non esse judicaret, hoc ingruens periculum et copiarum adeo prævalentium adventum eodem loco manentem exspectare, rei expediendæ rationem animo perpendit.

De rege Sverrere et Sognensibus.

18. Igitur rex Sverrer iter in Sognum parat, Bergas profecturus. Sed fieri potest, cum Deus omnipotens sanctaque virgo Maria regi Sverreri multas præclaras victorias dederint, ut homines invidi rerumque imperiti narrationi nostræ fidem habere nolint, nos, qui eum victoria semper potitum prædicaverimus, res non satis cognitas habere arbitrantes. Itaque horum incredulitati occurremus, nostramque in narrando libertatem probabimus, cum grata, tum ingrata referendo. Nam illi suisque multa laboriosa semita calcanda fuit, priusquam tot tantasque injurias, quibus a patre et filio affectus erat, ulcisci, regnumque paternum a tam potentibus viris adversariæ factionis, tantillis copiis extorquere posset. Qui etsi sæpissime multis laborum difficultatibus et ærumnis conflictatus esset, tamen nunquam lassitudine, turbulentis tempestatibus, vigiliis, fame tam affectus est, quam in hoc itinere. Iter igitur ingreditur, Bergas profecturus. Cum vero in Sognum pervenisset, hostium exploratoribus adventum ejus præcur-

[1]) amplius, *add. G.*

rentibus, magnis eo loco exercitibus collectitiis occurrit. Itaque illo cum suis in Sognum descendente, primum ita accidit, ut ei per angustum quendam callem transeundum esset, ubi ex altera parte flumen erat ejus rapiditatis, ut si a continuis cataractis se præcipitaret, nec ab ullo animali præterquam volucribus transiri potuit; ex altera autem prærupta, quæ quoque nullo pacto superari potuerunt. Idem callis adeo erat angustus, ut plures quam singuli ea transire nequirent. Super his rupibus coloni magno cum exercitu consederant, et ingentia saxa grandesque trabes habebant, quæ in subeuntes regis milites parati erant devolvere. Qua re animum adversa, rex arti arte occurrit, suosque ita est allocutus: nolite hisce viris potestatem nocendi vobis facere, contra ea illos quacunque poteritis ratione lacessite; ego vero tentabo, an aliquam partem exercitus eorum possim in fugam conjicere. Dein aliquot viris stipatus, montem, qua facillimus erat aditus, adscendit, eosque a tergo inopinantes invasit, et extemplo in fugam conjecit, aliquot interfectis. Quo facto in rura descendit, et in Leradalum pervenit. Postero mane necopinantibus Ozur Ballius[1] cum classe viginti quinque navium subito cursu advolavit. Birkibeini, armis extemplo sumtis, adversum eos progressi sunt; sed, quamvis classiarii magnas copias haberent, tamen, quod egressus periculi plenus videbatur, Birkibeinis in litore ad ipsum portum consistentibus, escendere non ausi, vela in altum dederunt.

De itineribus regis Sverreris.

19. Cum rex intelligeret, eo loco navium copiam non fore, quod fama adventus eorum per speculatores allata nusquam non præcucurrerat,

[1]) *G*; Hislius, *A*; Brisla, *F*; Bilzius, *B*.

Vorsiam intrare indeque Bergas descendere statuit. Hæc via, quæ per altissimos montes ferebat, ubi ingens nivium vis decidere solet, hiemali tempore valde fuit periculosa. Hoc autem consilium ideo ceperant, quod in fatis erat, ut ea vice in graves ærumnas incurrerent. Dein in Vorsiam profecti sunt, ubi multiplicia pericula eos manebant; primum, quod eo tempore hostes eorum se congregarant, universi Vorsienses, complures Sognensium, Hardangriensium et Sunnhordiensium, quæ multitudo immensa fuit. Omnis hæc multitudo festo Simonis die, rege accumbente et ab epulis profecturo, Birkibeinos imprudentes invasit. Qua re animum adversa, mensis subito relictis, arma induerunt, et commilitones suos opperiebantur; neque enim omnes eodem hospitio per noctem usi fuerant. Postea vero quam omnis exercitus in unum convenerat, Birkibeini et coloni aciem instruxerunt. Birkibeini, etsi numero essent inferiores, tamen nihilo minus impetum in hostes dare cupiebant, primamque impressionem tam vehementem fecerunt, ut colonorum prima acies repelleretur. Fugientes coloni fauces præruptas, per quas amnis quidam viam sibi moliebatur, transierunt, haud procul supra eos aliis faucibus sitis brevi transitu, qua tela alteri in alteros conjecerunt. Inde utrique contrariis ripis adverso flumine contenderunt, colonis hostes a superioribus circumvenire et ab aperto latere aggredi conantibus. Sed quo longius in superiora penetrabant, eo latiores fauces exstiterunt, tandemque in regione superiori lacu quodam claudebantur, ut, quo diutius progressi fuissent, eo longius inter eos spatium intercederet. Interea nocte ingruente, prospectu inter se ademto, nihil agere po-

tuerunt. At nulla ad oppidum penetrandi facultas dabatur, quod, adventu eorum in omnibus locis per speculatores prænuntiato, tantæ erant Bergis copiæ tantaque hominum multitudo contracta, ut his Birkibeini omnino impares essent. Hinc cum (rex) eadem via reverti statuisset, quinque[1] viæ duces, itinerum peritissimos, delegit; quibus tum sanequam opus erat, nam tempestates tam fœdæ consecutæ sunt, ut tales perraro existant, tantaque decidit nivium vis, ut omnia exempla excederet. Ac, ne longiores simus, centum et quadraginta equos cum auratis ephippiis amiserunt, præterea varia pretiosa, tunicas et arma, multasque alias res eximias. Quo accedebat, quod, quibus locis versarentur, ignorabant, et alimentorum inopia adeo laborabant, ut vel aqua, ne dicam alia, illis deesset; quin, octo diebus præter nivem nihil, quod gustarent, habebant. Die festum omnium sanctorum proxime antecedente, adeo turbulenta coorta tempestas est, quod his, qui hanc narrationem audient, incredibile videbitur, ut militum unus vi tempestatis humi prostratus, spina dorsi tribus locis fracta, interierit. Tum, procellis irruentibus, unicum fuit mali effugium, corpore in nivem prostrato se quam firmissime clypeo obtegere. Tum quoque duces, quibus locis versarentur nescii, quasi re desperata procubuerunt; nam tenebræ adeo erant crassæ, ut prospectus omnino esset ademtus. Milites et fame et lassitudine, quidam etiam frigore penitus erant confecti, viribusque adeo exhausti, ut nemo longius progredi vellet. Et si quando aliquantula dabatur prospiciendi facultas, animadvertebant, locum quo devenissent abscissis rupibus præcingi. Hic regii vehementer fremere; alii sese ex rupibus

[1]) duo, *G.*

præcipitaturos, neque diutius tantos cruciatus perpessuros denuntiare, hanc enim celerrimam rerum commutationem fore; alii contra: majoris strenuitatis existimamus, inquiebant, vetera sequi exempla, strenuorumque virorum vestigiis insistere, qui potius infestis telis sibi ipsi mortem consciscere, quam ærumnas diutius perferre maluerunt.

Oratio regis Sverreris.

20. Hic rex, silentio imperato, orationem sic orsus est: mihi quidem rationem vestram consideranti, inquit, hoc propositum et temerarium et omnino inutile esse videtur. Nam si vosmetipsos ex rupibus præcipitatis, ipsique vobis mortem consciscitis, hoc amentium est, qui rebus suis prospicere nequeunt. Sin vero tela vobis ipsi intentare vultis, is paganorum mos est, Dei notitiam non habentium. Nos contra christiani sumus christianisque nati, quibus persvasum est, homini, qui sibi ipse mortem consciscat, nullum ad Deum aditum patere. Sed illa ratio a diaboli instigatione proficiscitur, cujus voluntati non est obtemperandum. Potius ad Dei benignitatem confugiamus, memores, quamvis divina pœna severa videatur, nihil his a Deo gravius irrogari, a quibus non magnopere peccatum sit. Quare agite, nostrorum peccatorum pœnitentiam agamus, persvasum habentes, nos a Deo non crudelitate, sed ob maleficia nostra plecti. Ideo eum modeste ac submisse veneremur, quod ipse nos hunc in modum docuit: a me discite, qui sim submisso modestoque animo, vestrisque animabus quietem invenietis. Ex quo quisque intelligere potest, multo præstare, recte faciendo ad benignitatem Dei confugere, quam temeraria agendi ratione in manus diaboli incurrere. Volo vos omnes, quod suscipiendum sva-

deam, libenter facturos polliceri. Nos igitur universi sacris precibus Dei beatæque Mariæ et regis Olavi sancti opem imploremus. Ea vis regiæ orationis fuit, ut confestim omnes dextris junctis secundoque armorum fremitu votum a rege nuncupatum sancirent. Ceterum, rege orationem ordiente, adeo vehemens erat tempestatis vis, ut circumstantium proximi verba ejus vix audire possent; simul vero atque voti leges edixerat, Deus tam celerem tamque excelsam benignitatem iis exhibuit, ut, qua cœli plaga ventus spiraret, animadverti non posset; moxque tanta serenitas cœli, is splendor solis, aerque adeo mitis exstitit, ut mediam æstatem esse putares. Tum demum, quibus locis versarentur, agnoverunt, iterque contra quam debuerant sese fecisse animadverterunt; interim milites regii adeo erant viribus deserti, ut viginti[1] homines brevi temporis spatio exanimes collaberentur. Itaque vires denuo strenue intendentes, etsi tardius proficiebant, mapalia quædam tenuerunt, ubi humi prostrati requieverunt. Post hæc cum ignem, quo magnopere, si fieri posset, opus erat, excitare conarentur (erat circiter media nox), omnes adeo erant viribus exhausti, ut eum excitare valeret nemo. Sed hic, ut sæpius, Deo benigne adjuvante, in uno refugium erat; nam, cum omnium salus in discrimine versaretur, nisi excitatus ignis esset, is, qui maxima inter eos felicitate gaudebat, omniumque consiliorum princeps fuit, excitare ignem potuit; hic erat rex Sverrer, qui, igni silice excusso, sebaceum accendit, suisque tradidit; unde illi ingenti accenso igne, sese siccaverunt. Ab eo loco haud longe cum exigua quædam villa abesset, rex ad eum, qui ibi habitabat, colonum

1) triginta, *B.*

se contulit, et apud eum pernoctavit; pars vero regiorum militum in loca villis frequentiora concessit. Cum vero rex milites omnibus rebus, quarum copia suppeteret, recreari videret, ipse cum aliquot ex suis, qui firmissimi esse videbantur, ad excubias agendas profectus est, erat enim eo loco angustus quidam callis, qui si diligenter custoditus esset, omnes in tuto erant. Quo loco cum rex excubias ad tertium usque diem egisset, in loca habitaculis frequentiora, ubi pars militum se continebat, reverti statuit. Hoc iter perquam erat difficile, nam aut ingens jugum montis, quo rura inter se disjungebantur, superandum, aut iter secundum arduum clivum summo cum vitæ periculo faciendum erat. Tunc autem milites regii iter per montana facere non potuerunt, quod, simul atque in rura devenerant, eadem quæ antea tempestatis violentia ingruebat.

De rege Sverrere ac Thorgrimo.

21. Post hæc rex Sverrer in Valdresiam profectus est, ibique convivia per villas suas obibat; inde in Gudbrandsdalos venit, ubi ipsi cum universis militibus dimidii mensis convivium in regio prædio Steiga paratum est. Nondum tamen quiescendi facultas erat; nam in Heidmarka duodecim erant coloni, quos inter convenerat, ut singuli centenis vicenis militibus exercitus collectitii præessent. Hi clientes erant regis Magni ex emporio Hamarensi. Quibus cognitis rebus, rex iter e Vallibus paravit, ne aditu vallis ab iis præoccupato includeretur. Colono, qui rusticis præerat, quique hujus collectitii exercitus concitator erat, Thorgrimo nomen fuit. Rex, qui ipse res adversariorum speculari, quam suas ab hostibus explorari mallet, iter magna festinatione accelerabat. Nocte quadam ipse ab exercitu suo discessit; hujusmodi

enim negotio suos omnes in itinere retardari noluit. Hac igitur nocte, quinque[1] viris comitatus, ad Thorgrimum pervenit, quem domi octo[2] viris stipatum offendit. Quorum congressus alium, quam Thorgrimus opinatus erat, exitum habuit. Deus enim fortunam certaminis sic decrevit, ut, qui dignitate præstabat, superior discederet, vincto patre familias, domesticis verberatis; eumque res nacta est exitum, ut rex Thorgrimum magna bonorum copia spoliaret, hicque insuper regi Sverreri dimidiam auri selibram penderet, præclare secum actum putans, quod his conditionibus uti licuisset. Quibus rebus confectis digressi sunt.

De itineribus regis Sverreris.

22. Post hæc rex Sverrer ad emporium Hamarense se contulit. Hic Haraldus Gudbrandi filius, regis propinquus, captus est; qui, multis ne interficeretur deprecantibus, regi duodecim auri uncias pependit. Ceteri autem regis Magni milites, multis omnis generis bonis spoliati, fuga salutem petierunt. Quo facto rex in Valles Orientales profectus, eo quinque noctibus ante festum Jolense pervenit. Incolæ autem, veriti, ne hic exercitus per festum Jolense ipsorum sumtibus viveret, caverunt, ne quis convivium Jolense instruendum, nec cerevisiam delicatiorem aliasve dapes parandas curaret. Quorum perspecto consilio, rex aliud consilium opposuit; etenim, etsi incolæ hospitalitatis officia ei præstare noluerunt, tamen et ipsi et exercitui nihilo minus cibaria Jolensia opus erant. Inde igitur itinere converso, se orientem versus in Vermalandum profecturum simulavit, protinusque, qua via communis ducebat, ad silvam Eidensem contendit. Quo cum venisset, suis divisis, centum

[1]) quatuor, *B*, *G*; quindecim, *A*. [2]) novem, *F*.

viginti milites orientem versus per silvam in Vermalandum misit, ubi liberaliter excepti sunt. Ipse vero cum ducentis quadraginta in Valles reversus est, incolas statim post discessum suum convivia Jolensia apparavisse, pro certo credens; quam regis opinionem, ut multa alia, eventus comprobavit. Nam cum circa festum Jolense in rura revenissent, omnia omnibus æque communia esse, vel ingratiis colonorum, necesse erat; unde factum, ut rex per totum festum Jolense lautissimis conviviis exciperetur.

De Erlingo dynasta ejusque consiliis.

23. Eodem tempore Erlingus dynasta in Vika se continebat, qui, cognitis his rebus, statim post festum Jolense copias in expeditionem evocavit, ratus, eos circumventos, veluti oves septo inclusas lanienæque destinatas, capi posse; res vero longe aliter cecidit. Nam rex Sverrer a laqueis, quibus eum capere cogitarant, mature præcaverat. Eam enim consilii rationem instituerat, ut prima convivia in septemtrionali Vallium parte obiret, festo vero procedente ad ipsum aditum Vallium contenderet; unde factum est, ut prius inde discessisset et in Vermalandum se recepisset, quam illuc pervenisset dynasta. Sic adversarii spe intercludendi ejus dejecti sunt. Itaque dynasta orientem versus in Vermalandum ad eum persequendum proficisci statuit. Quod ne fieret, Vermalandi prohibuerunt, dicentes, fore ut pessime acceptus reverti cogeretur, ejusque per silvam iter stratis arboribus intercluserunt. Quare repulsus conatu destitit.

Rex Sverrer rem familiarem Simonis diripit.

24. Post hæc rex Sverrer omnibus suis in unum congregatis, sexcentis viris stipatus in Vikam descendit ad villam Simonis, Skriksvi-

kam[1]; rem familiarem diripuit; ædes omnesque naves longas, quæ ei erant, unamque mercatoriam admodum recens ædificatam, quæ commeatibus in mare Balticum fuerat destinata, incendit; quadraginta boves in Vermalandum abegit. Simon de rerum suarum jactura certior factus, dimissa belli sagitta, liberos juxta cum servis in expeditionem adversus Birkibeinos evocavit. Qui cum esset magnæ auctoritatis et potentiæ, nemo ejus imperata non facere audebat; brevique tantas copias contraxit, ut quingentos milites haberet. Interea rex orientem versus ad Albim usque recedens, ad fines regni pervenerat. Hic, Simone adverso Albi Gothorum iter faciente, in exiguo aliquo pago versabatur; unde haud procul milites erant dispositi et per hospitia late divisi: hic enim pagus rare incolebatur, et rex tam repente imminentis periculi ignarus erat. Interim amici ejus nuntium ex Gothia noctu miserunt, Simonem cum ingenti copiarum multitudine in itinere esse, eum, nisi præcavisset, brevi oppressurum. Quo cognito rex Sverrer, cui vestes armaque raptim erant induenda, omnes suos ad se venire jussit, quod, militibus latius dispersis, haud celeriter fieri potuit. Rex, in silvam quandam, quæ Huvunesensis[2] appellatur, profectus, suos ibi opperiebatur. Qui cum advenissent, sententias militum, quid capiendum consilii esset, exquisivit, et dixit, opinari se, difficile ipsis fore cum rege Magno Erlingoque dynasta certamen pugnæ, si congressum cum præfectis, quamvis magno militum numero stipatis, vitarent, antequam, quibuscum esset dimicandum, cognovissent. Universi pugnam fugæ antetulerunt, etsi tantam adesse hostium multitudinem non opinabantur. Igitur adversus Si-

[1]) Scrinksvikam, *G*; Skrigsvikam, *F*. [2]) Huvancsensis, *B*.

monem contenderunt, congressiquė sunt ante lucem, tenebris adeo densis, ut nullo animadvertente signa cervicibus imminerent. Mox prælium committitur; pugnatur satis acriter, neque diu, eo tandem exitu, ut Deus regi præclaram victoriam daret, centum et sexaginta Simonianorum interfectis, septem[1] suorum amissis. Simon cum reliquis omnibus in fugam se conjecit; quibus fugientibus propter multitudinem hostium et tenebras instare non ausi sunt.

De itineribus regis Sverreris.

25. Hoc confecto prælio rex Sverrer iter Kongelam ingressus est; hic bonis eorum, qui effugerant, quæ magnam pecuniæ summam effecerunt, potitus est; oppido stipendium, viginti selibras ponderatas, imposuit. Hic duas tantum noctes commoratus, quod suspicabatur, id quod verisimile erat, ex tanto numero, qui cum Simone fugerat, complures esse reversuros, inde Ljodhusa se contulit, ubi aliquot noctes moratus est. Interim rex Magnus Erlingusque dynasta magnas copias contraxerant, omnibus qui in Vika erant præfectis adscitis. Tumque ita accidit, ut utrique, ignari quo loco alteri versarentur, obviam inter se contenderent, rege Sverrere prædarum occasionibus, si quæ forte in Vika offerrentur, imminente. Nocte quadam inter nocturnas utrorumque stationes non amplius milliarii spatium intererat, ita tamen ut neutri alterius adventum præcognosset. Ab ea statione inter se obviam perrexere, donec alter ab altero non amplius milliarii quadrantis spatio abesset. Tum demum animadvertens rex Sverrer patrem et filium cum copiis progredientes, confestim itinere orientem versus converso, donec in Vermalandum perveniret, ire perrexit. Hic viros maxi-

[1]) octo tantum, *F*; sex tantum, *B.*

mæ auctoritatis et prudentiæ ad concilium convocatos interrogavit, utrum societatem secum facere, ita ut eorum defensor et protector esset, an hanc conditionem aspernari vellent. Illi sese libenter pro eo, tanquam rege suo, pugnare velle responderunt. Eadem Sunndalenses polliciti sunt. Quod cum rex Magnus et Erlingus dynasta comperissent, re infecta discesserunt, Ormum vero regis fratrem in Uplanda, ubi omnium consangvineorum suorum robore adjuvaretur, miserunt, ut regi Sverreri e Vermalando irrumpere conanti occurreret. Interea rex Sverrer, non amplius ducentis quadraginta viris stipatus, iter ad mare Balticum paravit. In Jarnberiam delatus, in magnum incidit exercitum collectitium. Hi stratis arboribus eum transitu prohibuerunt, dicentes, sese regum per fines suos itinerum insvetos esse, neque præsenti tempore permissuros. Itaque rex equo in medium provectus, verba cum iis conseruit, suaque oratione effecit, ut, quascunque in partes proficisci vellet, itineris faciendi potestatem facerent, et quibuscunque rebus possent, adjuvarent.

De Helsingis et Jamtis.

26. Inde rex Sverrer in Helsingiam profectus, cum in locum Alptas dictum pervenisset, ingenti hominum multitudini et copiis collectitiis occurrit, quorum numerus erat tria millia et sexcenti, qui omnes ad prælium parati erant; in his centum viginti milites cataphracti. Hæc omnis multitudo, si quis Sverrerianis pacis conditiones transeundive potestatem concessisset, infamiæ notam denuntiaverat, quod secundo armorum fremitu sanciverant. Huc accedebat, quod nemini ex militibus ejus nec in concilium prodeundi, nec ullum verbum proferendi potestatem

concesserunt. Eo tamen res tandem deducta est, ut omnibus regiis in concilium prodeundi, quæque ibi agerentur audiendi potestas daretur. Hic rex suos aciem instruere jussit, ut ad omnia, quæ hæc multitudo facere aggrederetur, parati essent. Quo viso, incolæ animo fluctuare cœperunt, ut missis ultro citroque nuntiis constitutum sit, regi quidem licere in concilium eorum prodire mandataque per suos exponere, ipsi vero verba faciendi potestatem non concedi. At Helsingi hoc ea solum conditione permiserunt, si eadem via reverteretur, negantes se unquam transitum ei concessuros. Atque res eo tandem deducta est, ut regi orationem, quantum non interrupto tenore proloqui posset, habere liceret. Hic igitur sic verba facere orsus est: quid nobis crimini dare possitis, nescimus; illud autem observandum est, cum nos omnes unum Deum profiteamur, quem patrem nostrum appellamus, necessitatem officiumque nostrum postulare, ut pacem inter nos servemus, alterque alteri haud secus quam sibi ipsi prospiciat; neque enim unquam nostri vobis mali quicquam intulerunt. Considerate, quam parum boni regi Magno Erlingoque dynastæ acceptum referatis. Quibus dictis rex duo equos in medium productos mactari jussit, dicens, fama per orbem terrarum vulgatum iri, si cibi adeo essent tenaces, ut christiani homines, apud eos versantes, ne fame perirent, carnibus equinis vesci cogerentur. Cum vero rex orationis finem fecisset, is, qui antea infamiæ pœnam fuerat minatus, si quis regi per fines transeundi potestatem fecisset, eum [cum septuaginta hominibus[1] ad convivium invitavit, et ceteri deinceps coloni ipsum cum omnibus suis ad convivia vocarunt. Jamti,

[1]) *add. G*; quadraginta, *B*; octoginta, *F*.

cognito, quales se Helsingi præbuissent, bene quoque eos exceperunt, ut rex Sverrer regionem ab oriente peragrans convivia obiret. Cum vero in septemtrionales regionis partes venisset, benevolis incolarum pollicitationibus fretus, dimissas copias in hospitia per rura distribuit, ut ipse non amplius quam centum viginti homines apud se retineret. Aliquando circa mediam noctem ita accidit, ut vir quidam regem adiens certiorem faceret, Jamtos, copiis ex orientali regionis parte contractis, eum insequi, ipsumque et universum ejus exercitum interficere statuisse: cujus consilii omnes præfectos participes esse. Rex extemplo surrexit, suosque somno excitatos induere arma jussit; aperit eis, quid cognoverit, seque magnopere timere, ne, qui in rura erant profecti, universi interficerentur. Itaque statim eadem nocte cum copiis, quæ circa eum erant, iter in ea loca facere cœpit, quibus in locis Jamtos esse audiebat. Hi autem iter tripartito agmine facientes regem ita circumvenerant, ut singuli eum e diversis partibus aggredi possent. Regi, exercitum traducenti per lacus cujusdam sinum inter Undurseyas[1] et continentem, copiæ Jamtorum, numero mille quadringenti quadraginta homines, occurrerunt, eosque corona circumdederunt. Hic rex Sverrer suos ita allocutus est: eodem symbolo et adhortatione, quibus Jamtos uti audieritis, utiminor, et simul atque poteritis, vos ab eorum acie segregate, et in insulam vos recipite, acri in hostes impetu antea dato, factoque eos depellendi periculo. Birkibeini igitur clamore sublato audacter procucurrerunt, Jamtis eos undique impugnantibus. Pugnatum est acriter et vehementer, tam densis nocturnis tenebris, ut alter alterius conspe-

[1]) Undurseyam, *B.*

ctum fefellerit. Hic Birkibeini, cum aliquamdiu vehementer ab utrisque esset pugnatum, se ex turba colonorum expediverunt, et in insulam receperunt. Quod cum coloni non cito animadverterent, ipsi diu inter se pugnarunt; hæc fere sub lucem acciderunt. Cum vero coloni, pugnandi fine facto, se mutuis cædibus atteri intellexissent, Birkibeini tam acrem in eos impetum fecerunt, ut gradu dejicerentur, et animadversa suorum clade in pedes se conjicerent, Birkibeinis insequentibus et promiscua strage grassantibus. In quo prælio pæne centum viginti ex Jamtis ceciderunt, complures vulnerati sunt, cum rex Sverrer non amplius viginti et centum, Jamti mille quadringentos quadraginta milites habuissent. Post eodem mane, cum rex exercitum ad se arcessi jussisset, suique omnes convenissent, Jamti pacem ab eo petierunt, eamque datis obsidibus impetrarunt; rex stipendium iis imposuit, illi vero sese regis subditos professi, ut præfectos constitueret, qui multas aliaque vectigalia exigerent, oraverunt. Quam rem interposito complurium jurejurando sanciverunt, stipendioque soluto digressi sunt.

Consilia regis Sverreris.

27. Post hæc rex Sverrer septemtrionem versus profectus, trajecto monte in Naumudalum descendit; ibi milite in naves colonorum imposito, in Skillingas trajecit. Hic rex, cum ab incolis ea quæ inter eos agerentur animadverti nollet, suis ad concilium secretum advocavit, militum sententias, quam rationem itinerum insisterent, perquisivit, tres præsto esse conditiones ostendens: unam, ut iter septemtrionem versus in Halogiam ad pecunias parandas facerent, dein meridiem versus Bergas, si quid forte detrimenti hostibus inferre possent, contenderent;

alteram, ut occidentem versus in insulas, ubi nonnulla spes parandarum copiarum esset, peregre proficiscerentur; tertiam, ut in Hiberniam aliasve terras occidentales piraticæ faciendæ causa excurrerent; se enim putare, regem Magnum Erlingumque dynastam, quo diutius regno præfuissent, eo minori populi gratia usuros: at præsenti tempore, inquit, tantum copiis valent, ut armis cum his contendere difficile nobis futurum sit. Universi milites se ad oppidum contendere velle responderunt: nihil obstiturum, quominus oppido potirentur: regium exercitum ibi non adesse: posse Nidarosum expugnari, cum rex multos ibi haberet amicos: eo modo accessionem copiarum fore. Quibus rex: somniis admonitus, ab ista ratione abhorreo; uti antea, ita etiam nunc auctoritati meæ nonnihil tribuendum arbitror: oppidum post adgrediemur. Cum vero milites nullis detineri rationibus possent, quin ad oppidum irent, rex eorum voluntati obtemperavit. Itaque rege invito ad ostium sinus Thrandheimici contenderunt. Ubi vero ad insulam Folsknam venerunt, rex se intrare sinum nolle, quo non sine dedecore accessum futurum, sed Bergas proficisci velle dixit. Milites vana occasionis specie decepti, oppidum facili negotio expugnari posse dictitarunt, omnesque, rege excepto, proficiscendum in Thrandheimum esse consenserunt. Itaque sinum remigando ingrediuntur, et ad Raudabjarga classem constituunt. Hic rex suos omnes e navibus evocatos secreto interrogavit, quam rationem oppugnationis, cujus adeo essent cupidi, ingredi cogitarent. Illi sese, classe remis ad oppidum incitata, escensionis periculum facturos ostenderunt. Rex contra: hoc minus utile consilium existimo, neque enim oppidanos oppidum in po-

testatem nostram tradituros, sed aditum nobis interclusuros, arbitror, ut quibus persvasissimum esse debeat, nos Birkibeinos rapinis ac direptionibus non temperaturos. Igitur auctor sum, ut, priusquam illucescere cœperit, una celox speculandi gratia in interiora sinus secundum Stadum mittatur, quæ, sinu intra Holmum trajecto, juxta Ladhamarem tentoriis navalibus quam ornatissime velata constituatur, loco tam propatulo, ut ab oppido, cum diluxerit, conspici queat. Hujus universi vectores in terram escendunto, egressique in silvam per loca superiora supra Ladas progrediuntor, jugoque supra pontem occupato, eo loco usque ad diliculum considunto. Interea nos, sinu ad Fladkium usque remis trajecto, prætervecti Gaularasum ad Gullhamarem classem constituemus. Sic enim spero fore, ut oppidani, cum illucescere cœperit, navem ad Ladhamarem in ancoris stantem conspicati, naves suas instructas oppido educant, nostramque classem universam eo loco constitisse putent; nam quo loco unam navem conspexerint, eodem loco plures esse putabunt. Itaque nobis conducere puto, illis ad Ladhamares[1] remigantibus, naves ab insula Hevringa ad Eyras remis incitare; quo facto existimarim, nos illis, non illos nobis aditum oppidi interclusuros. Gudlaugus[2] contra: haud nobis, opinor, numerus militum nimius videbitur, etsi nostros in duas partes non distrahamus. Cujus sententiæ cum plures, quam regiæ, accederent, decretum est, ut, ubi primum illuxisset, naves ad oppidum remis adpellerent. Rex, quo loco ipsi essent, se quoque, quamvis invitum, esse facile posse testatus: at præsagit mihi ani-

[1]) Ladhamarem, *B.* [2]) regius aulæ magister, *add. B.*

mus, inquit, vestram rationem, meo consensu non accedente, successu carituram.

Prælium regis Sverreris contra oppidanos.

28. Archiepiscopus Eystein, qui in oppido se continebat, concilio pridie convocato, se de itinere Birkibeinorum hoc cognovisse ostendit, quod septemtrionem versus in Naumudalum descendissent, cursumque meridiem versus per exteriora direxissent; speroque fore, inquit, ut intrato sinu nos visitent; audio vero, eos exiguam manum, lassitudine et ærumnis confectam, parvaque navigia habere; quam ob rem indignum est, colonos et mercatores furibus istis hominibusque scelestissimis a Sverrere frequentatis vestes suas aliave bona concedere. Nos potius, si de oppido defendendo cogitatis, vobis aliquid auxilii ferre volumus; ipse, si oppidani et mercatores non deerunt, naves meas omnesque domesticos, qui in ædibus episcopi versantur, attribuam. Quo probato consilio, omnes sese hoc facere malle, quam escensione a Birkibeinis facta periculo exponi dixerunt. Itaque oppidani et mercatores quatuor naves instruxerunt, quintam archiepiscopus, qua ejus domestici vehebantur, quæ a propugnatoribus optime erat instructa; huic præfectus erat Sigurdus filius Özuris Ballii[1]. Oppidani ignes prænuntiativos in Digurmulo paratos habebant, quos mane illucescente, cum naves juxta Raudabjarga conspicarentur, summa usi celeritate excitarunt. Quod conspicati oppidani, milite ad naves tuba convocato, e flumine solverunt. Birkibeini autem, tentoriis raptim amotis, naves trans sinum ad Gaularasum remis incitarunt, oppidanis per brachium maris obviam remigantibus. Qui cum extra Digurmulum venissent, inter se conspicati, in sinu intra Hattar-

[1]) Bollii, *F.*

hamarem congressi sunt; oppidani quatuor naves ex oppido in prælium educebant, totidemque rex Sverrer habebat, quarum una viginti transtris erat instructa. Hic acre ac vehemens prælium ortum; inter pugnam commoda tempestate lenique aquilone omnes naves ad terram una delatæ sensim in vadis hærebant. Quum vero aliquamdiu esset pugnatum, navis archiepiscopi, quæ serius oppido solverat, in pugnam processit. Qua re animadversa, Birkibeini, ante hujus navis adventum jam laborantes, de rebus suis desperare cœperunt. Rex Sverrer demisso amiculo cæruleo indutus erat; is mature navi egressurus, ad proram procedens cum malum præteriisset, una e tabulis, quibus navis erat constrata, decidente, in interscalmium delapsus est, suis super eum adeo dense procurrentibus, ut surgere nequiret; quæ res, confertissima turba proruente, iter ejus diutius retardabat. Vir quidam, nomine Helgius, cognominatus Bygvamba, inter novissimos procurrit. Quem cum rex adspiceret, ille, agnito rege: indigne regem nostrum deserimus, inquit. Quo dicto regem, humero manu prensato, ex interscalmio navis sublevavit. Tum rex: impræsentiarum cave, ne regium nomen adeo temere jactes. Dein utrique in terram una excurrerunt, cumque in litore constitissent, a tribus oppidanis impetiti sunt. Helgius adversus eos procurrens rem cominus gerebat. Rex, in arduam quandam ripæ crepidinem eniti conatus, cum fere in summum adscendisset, amiculum pede pressit, ut vestigio fallente in arenosum litus relaberetur. Hic unus ex iis, qui Helgium ante impugnaverat, regem adortus ferro percutere cogitavit. Quo viso Helgius, elusis duobus quibuscum rem gerebat adversariis, ad regem, quem laborantem conspexerat, se recepit, eique,

qui regem antea ferire cogitarat, letale vulnus inflixit. Quo facto rex iterum eniti contendit. Adversarii vero, ab impugnando Helgio deterriti, re infecta discesserunt. Rex itineri faciundo minus idoneus erat, quod in pugna jaculo pennato ictus pede vulneratus erat, quod vulnus ei a Serko Rjodensi fuit illatum. Helgius regem comitatus per Gaularasum eniti contendit, dum milites prælio elapsi ad eos confluerent. Hic rex in montem processit, ibique recubuit; inde exaudiebant sermones oppidanorum, inter se, utrum Sverrer in prælio cecidisset nec ne, disserentium. Quibus Helgius clara voce, ut oppidani audirent, respondit: rex Sverrer, antequam occumbat, adhuc acriorem in vos impetum dabit. In hoc prælio multi fortes viri ceciderunt: Sigurdus Saltnesensis, ejusque frater Jon Ketlingus in litore ceciderunt; quorum frater Viljalmus jugum et promontorium una navi prætervectus aufugit, sed ab insequentibus oppidanis impetitus, egressus e navi in litore cecidit: oppidani, armis eorum inter se divisis, re sic gesta discesserunt. Gudlaugus aulæ minister graviter vulneratus est; is tunica coccina indutus jugum ascenderat. Hic ei colonus quidam obviam factus, cum unum e fugientibus esse certo cognovisset, securi lignaria, quam manu tenebat, cervicem, qua collo jungitur, percussit. Quo ictu collapsum cum interfectum a se colonus putaret, vestibus spoliatum collectis sarmentis texit, eoque loco reliquit. At Gudlaugus, cum paulo post ad se rediisset, surrexit, domumque quandam, ubi bene exceptus est, pervenit. Dein regem subsecutus est; vulneraque ejus coierunt. Ex quo Birkibeini ei cognomen Gnitaskoræ indiderunt.

Oratio regis Sverreris.

29. Hoc facto prælio, Birkibeini in Uplanda

profecti sunt, quidam in Mæriam ad Serkum descenderunt, eumque cum undecim viris interfecerunt; quo facto ad regem Sverrerem se contulerunt. Quorum in Vikam adventum cum rex Magnus Ormusque regis frater cognovissent, iter ad illos quærendos compararunt, certioresque facti, quo se loco continerent, eos persequebantur; illi, copiarum numero multo inferiores, refugiebant. Hic rex Sverrer apud suos concionatus, quod sinum Thrandheimicum cum classe intrassent, ut adversus colonos dimicarent, se invito factum esse ostendit: milites nostros, inquit, virosque in nostro grege fortissimos amisimus. Quæ clades cum nuntiata colonis fuerit, nos, quocunque venerimus, expellemur et exagitabimur, omnesque, quibus calamitates nostræ innotuerint, de virtute nostra sinistre judicabunt; ante vero quam commissum fuit hoc prælium, victoriam semper reportavimus, superioresque discessimus; tumque plerique arma contra nos ferre metuebant. Audivistis profecto, regem Magnum nos cum magno exercitu persequi. A quibus si posthac intra regni fines exagitari nos patiemur, haud diu erit, cum cives ingenui servique cervicibus nostris inhærebunt, totusque exercitus noster, quemadmodum omnes, qui in fuga cadunt, cum ignominia delebitur. Quam ob rem majoris fortitudinis esse judico, quamvis exiguas habeamus copias, adversum hostes ire; nam, si hostium multitudine superati fuerimus, facile poterimus efficere, ut, si cum ipso rege Magno nobis res erit, magna cum gloria cadamus; sin vero res adeo prospere cadat, ut eum vincamus, ab eo inde tempore opes nostræ crescent. Neque vero ulla spes est, nos hanc terram et hoc regnum adeo facile occupare posse, ut nunquam vexillum Magni regis sublime ferri

videamus; et sane nimis diu nos intra regni fines agitari passi sumus, multasque vexationes hostium pertulimus. Sic rex Sverrer multis præclaris verbis suos magnopere stimulavit, bonisque quæ animo concepisset ominibus confirmavit. Cujus oratio secunda omnium acclamatione excepta est.

Prælium inter reges ad pontem Hirtæ.

30. Post hæc continuato itinere cum pontem in flumine, quod Hirta[1] dicitur, transgressi essent, regem Magnum jam adpropinquasse certo cognoverunt. Rex Sverrer exercitum in fruticeta quædam haud procul a ponte deduxit. Rex Magnus Ormusque regis frater certum quoque de itinere Birkibeinorum nuntium acceperant. Qui cum ad pontem venissent, rex Magnus vexillum suum transferri jussit, ipseque secutus est. Hoc idem fecit Ormus regis frater. Cum vero rex cum parte exercitus pontem transisset, Birkibeini acrem in eos impetum fecerunt. Pugnatum est acriter, neque diu. Rex Magnus compluribus suis interfectis trans pontem refugit, deinde etiam Ormus regis frater, utrique vulnerati. In hoc prælio rex Magnus complures ex suis amisit. Post hæc, cum utrique aliquamdiu tela per transversum amnem inter se conjecissent, diversi discesserunt. His rebus gestis rex Magnus Tunsbergum ad naves suas reversus est, indeque cursum orientem versus secundum litora direxit; rex Sverrer in Raumarikum profectus, orientem versus per mediterranea iter fecit et Ljodhusa pervenit, ubi regem Magnum Kongelæ versari certior factus, eo profectus de improviso advenit; leveque prælium non ita magna cæde commissum est, quo facto rex Magnus secundo flumine discessit; ibi rex Sverrer captas aliquot

[1]) Heyrta, *B*; Hvita, *F*.

naves incendi jussit. Interim rex Magnus boream versus in Vikam profectus, Osloam intravit, ubi aliquamdiu commoratus, exploratores orientem versus ad Albim usque Gothorum dimisit. Post hæc rex Sverrer omnes præfecturas in regni partibus orientalibus sitas sibi subjecit, indeque vectigalia redegit. Hoc tempore utrique, et Birkibeini et Heklungi, in Vika se continebant, et crebras inter se incursiones faciebant.

De rege Sverrere et militibus Magni regis.

31. Rex Sverrer, tentaturus, si quos hostium per insidias opprimere posset, septemtrionem versus in Vikam cum copiis profectus, nocte quadem sex viris stipatus in silvam quandam, haud procul a Saurbæis sitam, speculatum equo vectus est. Eadem nocte centurio aliquis de exercitu regis Magni, quinquaginta viris comitatus, in pagum meridianum, tentaturus an aliquos de militibus regis Sverreris interficere posset, iter fecit. Nox erat admodum obscura. Horum equitationem rex Sverrer animadvertit; nam cum essent mulso valde ebrii, loquaciores erant extraque omnem periculi metum; semita autem adeo erat angusta, ut ea singuli modo equites ire possent. Rex Sverrer, suis observare silentium jussis: arcus nostros et sagittas in promtu habeamus, inquit, et ab utraque parte semitæ progrediamur; cum vero hostes exadversum nos venerint, suo quisque arcu sagittas quam poterit creberrimas emittat; fieri enim potest, si tali modo fuerint admoniti, ut exercitum nostrum majorem esse, quam revera est, opinentur; sin vero multitudine superemur, saluti consulere poterimus. Itaque Birkibeini in eam partem, unde sermo exaudiebatur, quam creberrimas sagittas emittere cœperunt; tenebræ autem nocturnæ omnem prospectum ademerunt, neque ii, qui po-

steriores equitabant, scire poterant, quid iter eorum, qui agmen ducebant, impediret: itaque conglobarunt sese, quid rei esset, omnino ignari; Birkibeinis interea continuum sagittarum nimbum effundentibus. Qua re hostes, magnam hominum multitudinem versari in silva rati, fugam quam celerrime corripuerunt. Quos fugientes Birkikeini, quoad potuerunt, insequebantur; mane vero, cum illuxisset, reversi, multos equos et duodeviginti homines confossos repererunt.

De miraculo regis Olavi sancti erga regem Sverrerem.

32. Autumno proxime insequenti rex Sverrer boream versus in Thrandheimum profectus, regis Magni milites in emporio magna clade affecit, victoriamque reportavit, et decem naves cepit. Proximo autem vere cum copiis e sinu egressus, meridiem versus in Mæriam proficiscens, cum in meridianas pelagi partes devenisset, cursum extra insulas direxit. Ubi vero a septemtrione navigantes Stadum prætervehebantur, obvios habuerunt regem Magnum, Erlingum dynastam, archiepiscopum Eysteinem, Ormum regis fratrem, compluresque præfectos, qui magnum exercitum ingentesque naves habebant. Cum rex Sverrer tam ingentem classem conspexisset, et utrique inter se agnovissent, Sverreriani altum petierunt, velis remisque quam maxime potuere contendentes. Quo viso rex Magnus cum suis eos velis remisque quam vehementissime insequi cœpit. Qui cum navibus regis Sverreris ita adpropinquassent, ut navis, quam Erlingus dynasta ducebat, non longiori spatio abesset, quam ut vir e navis tabulato oculis cerni posset, dynasta, inhibito cursu (v. substrictis velis), suorum adventum exspectabat. Ubi vero omnes naves, quæ subsequebantur, ad-

venerant, dynasta sublata voce rationem oppugnationis præscripsit, dicens, tum demum verisimile videri, ipsos cum Birkibeinis congressuros; suos detrimenti quantum Birkibeini cædibus ac rapinis eis intulissent, ut memoriam retinerent oravit; omnes monuit, ut caverent, ne quis tantum sibi sumeret, ut cuiquam de Birkibeinis vitæ gratiam faceret; se autem magnopere gavisurum, si Sverrerem vivum, si fieri posset, captum ad se adduxissent. Quo ab omnibus promisso, laxatis funibus substrictoriis vela deducunt, eosque insequuntur. Hic rex Sverrer, naves hostium suas celeritate longe superare et magis magisque adpropinquare animadvertens, cum nullam quæ expedire posset effugiendi rationem in promtu esse intelligeret, nisi Deus majorem, quam præsens rerum status polliceri videbatur, benignitatem eis exhibuisset, ad precandum procubuit, regem Olavum sanctum invocavit, multaque præclara verba coram suis habuit. Quo ipso temporis puncto adeo spissa caligo mari incubuit, ut prospectus inter naves omnino interciperetur. Quam ob rem cum rex Magnus Erlingusque dynasta, quo tenderent, prospicere non possent, proris conversis cursum terram versus direxerunt. Hic dynasta: nunquam, dum prospera adspiravit fortuna, res sic cecidit. Mox universa classe in Hereyis congregata, cum postero die fama cognovissent, quinque naves Birkibeinorum fretis transnavigatis sinum intrasse, dynasta, principibus in colloquium et consilium adhibitis, se nescire ostendit, utrum Birkibeini, qui continentem petiisse dicerentur, in partes septemtrionales an meridianas secundum litora navigarint; nam utrisque partibus præsidio opus esse videri. Placere sibi, archiepiscopum Ormumque regis fratrem aliosque præfectos et delectos navium

gubernatores meridiem versus Bergas ad fines regni tuendos proficisci: rex autem Magnus et ego cum majori parte exercitus boream versus contendemus. Sic, uti præceperat dynasta, factum est.

De conditionibus, Magno et Erlingo a rege Sverrere oblatis.

33. Milites regis Magni, in Mæriam borealem delati, cognoverunt, regem Sverrerem ab alto advectum cursum [a meridiana parte Ædeyæ, et deinde boream versus usque ad Knararskeidum[1] direxisse. Rex Sverrer septemtrionem versus ad ostium sinus Thrandheimici contendit, indeque ad emporium accessit, et naves confestim ad pontes applicuit. Interim rex Magnus Erlingusque dynasta cursum septemtrionem versus ad Birkibeinos insequendos contenderunt. Quos cum velis adnavigantes brevique spatio ab oppido abesse rex Sverrer ac sui animadverterent, militibus ad colloquium tuba convocatis, quid animo proposuerit, aperit, nimirum se navibus exire statuisse; vetuitque, ne quis adeo audax esset, ut præter arma et vestes, quibus tunc uteretur, quicquam secum auferret. Quibus dictis Birkibeini arma induerunt et in oppidum escenderunt; naves universæ, tentoriis velatæ, ad pontes stabant: scortea in interscalmiis jacebant: arcæ contubernalium semi-interscalmiorum in navibus repositæ erant, clavibus in opercula insertis. Cumque rex Magnus et Erlingus dynasta classem adverso flumine remis incitarent, Birkibeini per pontem transgredientes in superiora contendebant. Qua de re ipse rex Sverrer sibi ideo maxime gloriandum esse judicavit, quod

[1]) ab exteriori parte Smjolæ, *G*; ab exteriori parte Smylæ, hanc inter et Ædeyam, et deinde etc., *F*; ab exteriori parte Ædeyæ, indeque a borea usque ad Kn., *B*.

perquam rara existerent exempla, fugientes fortunas suas aut naves ita, ut hi fecissent, reliquisse; addens, incertum adhuc esse, utri alterorum bonis aut navibus potirentur. Classiarii regis Magni Erlingique dynastæ, navibus ad Bratteyram extra Skipakrokum appulsis, egressi sunt. Hic dynasta in terram excurrens, cum in genua prolapsus manibus se excepisset: lapsus faustum itineris omen, inquit. Deinde, ut quisque in terram egressus paratusque erat, cum sociis navalibus per plateas adscenderunt. Dynasta, qui primus cum suis paratus erat, cum cœmeterium ædis Christi prætergressus supra ædes episcopi ad pontem pervenisset, vexillum regis Sverreris celeriter ferri, viaque publica Kleppabuum versus tendere conspexit; sub quo cum regem maximamque partem exercitus versari putaret, ponte trajecto, in Sprotavallos adscendit. Rex autem Sverrer cum maxima suorum parte in valle quadam, quæ haud longe a ponte supra clivum arenosum inferiorem sita est, recubuerat. Quem hoc loco constitisse ignorans dynasta, novissimo agmini carpendo intentus erat. Mox Birkibeini consurrexere, eosque adorti sunt. Dynasta ad pontem se recepit, eaque transiit, Birkibeinis usque ad aggerem, qui inter pontem et oppidum ductus erat, insequentibus. Qui, cum exercitus Magni regis et dynastæ ex inferiori loco adversus eos subiret, per pontem regressi, tela trans fluvium conjecerunt. Dynasta suos extra ictum teli recedere, in agro considere, et quid agerent Birkibeini, observare jussit. Sverrer quoque rex cum suis in alio loco propter crepidinem, juxta clivum arenosum sitam, consedit; sic utrique ad multum diem sedebant. Interim milites regis Magni cerevisiam delicatiorem sibi ex oppido afferendam curarunt. Multi

de utriusque exercitu, qui arcus habebant, progressi sagittas inter se miserunt, aliquot utrinque vulneratis. Die declinante, cum pæne esset hora diei tertia, Gudlaugus, aulæ minister regis Sverreris, obtento scuto ad caput pontis progressus, milites Magni regis inclamavit, dicens, se cum eis velle colloqui, si præbere aures vellent. Cui Ivar Hortius, unus e militibus regis Magni respondit, se, quæ diceret, aures præbiturum. Tum Gudlaugus ita loqui orsus est: rex Sverrer regi Magno Erlingoque dynastæ et omnibus eorum militibus tres offert conditiones: unam, ut pontem transeant, rege Sverrere interea cum suis omnibus locum superiorem longo inde spatio occupante; deinde utrique aciem pro lubitu quam diligentissime instruant, prælioque in Sprotavallis[1] decernant, ut, cui Deus faverit, victoriam reportet. Quam conditionem si rex Magnus et Erlingus dynasta accipere nolint, hanc alteram rex Sverrer offert, ut illi exercitum ad arcem educant, ibique per otium aciem instruant; nos autem Birkibeini pontem transgressi contra vos eamus, remque fortunæ committamus. Tertia est, si illarum neutram velint, ut in Eyras ad naves suas proficiscantur, ibique quam diligentissime aciem instruant; nos autem Birkibeini eis occurramus, ex oppido impetu facto. Etenim vos certo sciatis, regem Sverrerem, si ipsius arbitratu liceret, libenter velle dimicare. His dictis, Ivar Hortius ripa relicta eo, ubi ante steterat, se recepit, in agrumque pervenit, ubi Erlingum dynastam conveniens has conditiones exposuit. Dynasta regem Magnum, qui forte juxta ipsum obdormiverat, manu tergum demulcens, somno expergisci jussit. Regi, quid rei esset, interroganti, dynasta latas a sacerdote Sverrere

---

[1]) *G;* Skrautavallis, *A.*

conditiones exposuit. Eodem rem optioni ejus permittente, hic se ullam harum conditionem accepturum negavit; se sacerdoti Sverreri potius, quam illum sibi, conditiones præscripturum. Posthæc regressus Ivar Gudlaugo responsa dynastæ retulit, ille eadem ad Birkibeinos detulit. Hi, cum aliquamdiu magnus fuisset concursus, in viam se dederunt. Rex Sverrer ab orientali parte fluminis, qua via ferebat, Kleppabuum versus contendit; eam autem proficiscendi rationem instituerant, ut unus post alterum iret, quo factum est, ut, antequam novissimus ire cœpisset, spectantibus ingens agmen appareret; atque ita hac vice diversi discesserunt. Rex Sverrer adverso flumine iter faciens ad villam quandam, quæ Kotum dicitur, pervenit; hic tectis refixis, ratem e materia faciendam curavit, qua flumen Nidam trajecerunt; hora circiter pomeridiana sexta Thjodmyras transgressi sunt, indeque Stavum pervenerunt, flumenque Gaulam pontonibus trajecere; quod cum transissent, rex suos requiescere jussit, se enim somno gravatum quietem capere velle. Rex celeriter obdormivit; cum vero esset hora circiter nona, colonus quidam ad eos venit, qui jumentum polenta onustum ducebat, in oppidum vendendæ polentæ causa profecturus. Birkibeini ad hunc confluxerunt, simulantes se polentam emere velle. Regi experrecto, quid rei esset, percontanti, colonum quendam cum polenta advenisse responderunt. Jubet adduci. Factum. Cui rex: iter tuum non morabimur; sed tu, ut res est, narrato, Birkibeinos a te conventos, flumen Gaulam transisse, nocteque proxime insequenti Medalhusis pernoctare statuisse. Quibus dictis rex colonum dimisit. Hoc loco Birkibeini circiter tres quatuorve

noctes commorati sunt, antequam oppidum altera vice adgrederentur.

De Erlingo dynasta.

34. Vespere quodam cœnatum dynastam Sigurdus Nicolai filius et Jon Randabergensis adierunt. Hic Sigurdus: an excubiæ dispositæ sunt, domine? nempe audimus, Birkibeinos brevi huc adventuros exspectari; quare svaserim, ut armati milites classico ad arcem evocentur, ne illi, si forte oppidum aggrediantur, nos imparatos opprimant; namque verum putamus, Birkibeinos in Gaulardalum jam descendisse, quos nonnulli quidem in montem profecturos existimant, nos autem certo comperimus, vero non absimilius esse, eos huc in congressum nostrum venire statuisse. Huic dynasta: ego vero verum esse optarim, inquit, eos in congressum nostrum venire statuisse, ita enim, opinor, condigno negotiorum successu non excident. Vobis autem hac quidem nocte metu Birkibeinorum securis quiete frui licet; eos enim iter in montana convertisse, cognovi; neque sane Sverrer hoc loco nos adoriri audebit, de adventu ejus, uti nunc, certiores factos. Tunc Jon Randabergensis: bene nobis vertat ista, quam dynasta pollicetur, de adventu Birkibeinorum securitas! At vero sunt, domine, qui dicant, tibi magis curæ esse, ut te vino mulsove inebries, quam ut militibus auctoritate consiliorum provideas. Hic dynasta ira commotus: antea quidem raro exprobratum mihi fuit, quod non satis circumspectus essem; nunc autem nescio, utrum ego re vera huic exercitui, sicut dicitis, parum consulere possim, an vos magis, quam par est, timeatis. Sed vobis hac nocte ideo securis capere quietem licebit, quod egomet ipse, modo mihi credendum putetis, excubias acturus sum; quod quidem olim,

quo tempore cum majori, quam nunc, hostium multitudine armis erat dimicandum, haud nihili existimatum fuit. Quibus dictis digressi Sigurdus et Jon, ad naves suas redierunt; neque multo post dynasta cubitum ivit, vestes exuit, et se quieti dedit, itemque sui omnes, dispositis pro more solito custodiis exterioribus.

Oratio regis Sverreris.

35. Sed jam ad Birkibeinos revertamur; qui cum primo diluculo in Steinbjarga devenissent, rex militibus, se ad dynastam opprimendum adoriri oppidum statuisse, palam fecit. Ubi vero jugum transgressus in Feginsbrekkam descenderat, equo descendit, et in genua procumbens Deo supplicabat. Quo facto apud exercitum concionatus, milites, ut fidelem strenuamque operam navarent, hortatus est: nunc enim, inquit, pulcram victoriam reportabimus. Neque vero, quibus ærumnis ac laboribus, antequam hanc in terram venimus, semper exerciti, non modo nulla bona receperitis, sed etiam multis incommodis ad hoc tempus cumulati fueritis, vobis in memoriam revocare necesse habeo. Ex meo ingenio facile conjecturam facere possum, vos tempus jamdudum exspectare, quo plura bona, quam adhuc oblata potestas fuit, pro vestris laboribus et multiplicibus periculis perciperetis. Id enim solum consecuti sumus, quod armis peperimus, hic convivia, sicubi horum fuit facultas, ibi alia bona, ut quoque loco potestas fuit. Hoc autem tempore agitur res major, quam ut sæpius tali de re certamen nobis esse potuerit, oppidum dico Nidarosense. Hoc in oppido præsens adest rex Magnus et Erlingus dynasta, adsunt multi præfecti aulicique. Jam lætior, quam vulgo solet, offertur gloriæ consequendæ occasio; et quæ oblata mihi sunt somnia, probabile faciunt, nos

victoriam reportaturos. Quare, quo majora haud dubie bona consecuturi sumus, eo acrius hostibus insistamus. Jam quæ vos præmia maneant, docebo. Qui se præfectum occidisse certis argumentis probaverit, is præfectus erit. Quem quisque dignitatis locum cæde alterius vacuefecerit, hunc tenebit; qui aulicum interfecerit, aulicus erit, alioque præterea honore afficietur. De tantis igitur rebus hoc tempore vobis certamen est; atque, ut opinor, hostes de nostro adventu nullam certam famam acceperunt. Neque id mihi nunc dubium esse videtur, eos fortuna jam destitutos extremam vitæ metam adpropinquare, nos autem victoriam meritosque honores consequemur; eum certaminis inter nos exitum esse Deus jubebit. Nam cum isti jam diu regnum nostrum et honorem usurparint, fieri potest, ut qui honores et regnum injuste occuparunt, ea perdant, neque a verisimilitudine abhorret, vitam insuper amissuros. Primum in eos impetum quam acerrimum detis, quo facto cetera bene succedent. Hostes, quorum alii in navibus, alii diversis oppidi partibus versantur, vino et somno graves consiliique adeo inopes inveniemus, ut quam in partem se vertant, quidve agant, vix intellecturi sint. Qua oratione habita et ab omnibus comprobata rex Sverrer cum suis per Steinbjarga descendit.

De militibus regis Magni.

36. Milites regis Magni hac eadem nocte in Eyris excubantes, ludos agitabant. Qui cum Birkibeinos Steinbjarga præterire viderent, signum tuba datum, clamoreque insuper indicatum, ut copiæ se armarent et ex oppido egrederentur. Complures Magnianorum, pridie ab rege lautius habiti ejusdemque diei vespera vino sepulti, in oppido quiescebant, in eis quisque

ædibus, in quibus nocturnum hospitium sumserat. Dynasta, adventu hostium cognito, e lecto surrexit, vestes induit, suos arma capere jussit. Tum Ivar Hortius propinquus ejus adiens eum sic allocutus est: milites nostri in oppidum dilapsi sunt, quorum complures mero saucios quieti se tradidisse reor, ut copiæ in unum haud facile cogi posse videantur; quam ob rem universos milites classico ad naves evocandos, navesque a pontibus evehendas censeo, ut nos per otium comparare, et, si e ratione esse videatur, prælio decertare, sin minus, ex amni secundo flumine remigare possimus; neque enim oppidanorum auxilio fidendum esse arbitror. Cui dynasta: haud equidem scio, Ivar, an hæc optima ratio sit; sed nullo modo pati possum, Sverrerem, diabolicum istum sacerdotem, in locum filii mei succedere. Tum surrexit dynasta, editoque clamore omnes se sequi jussit. Dein universi ad ædem Christi successerunt, quo ad eum pervenit rex Magnus cum suo vexillo et cohorte, Sigurdus Nicolai filius, Jon Randabergensis, Ivar Hortius; hic complures in genua procumbentes Deo supplicarunt. Mox dynasta a templo discedens suos ita alloquitur: surgite, armaque sumite; fieri potest, ut quibusdam hoc loco propediem jacere liceat. Erlingus dynasta rubrum amiculum e gossypio et cucullum bombycinum gerebat, loricamque squamatam, quam non penitus fibulis præstrinxerat; idem nudum gladium manu gestabat, quem in sublime librans: hodie faciam, inquit, ut huncce senem gladio dextre uti posse prædicetis; moxque ad tubicines conversus, tubas quam creberrime inflari jussit. Ubi vero turrim præterlati erant, dynasta, oculos utroque versum circumferens: ubi nunc universi sumus? inquit.

Prælium inter reges; cadit Erlingus dynasta.

37. Rex Sverrer ad trecentos sexaginta milites, aut aliquanto amplius, secum e Gaulardalo[1] duxerat, quæ manus armis erat minus bene instructa. Coloni, cum pœnas ab Erlingo dynasta veriti, ipsi sequi non auderent, operarios suos domo miserant. Cum vero Birkibeini Steinbjarga præterirent, vir quidam ingenti corporis viriumque magnitudine, nulla arma, præter magnam, quam humero portabat, perticam ligneam, habens, ceteros cursu antevertit. Huic [sacerdos Özur[2]: quo cogitas, homo? curve ita cum pertica curris? ubinam arma tua? aliud profecto est, cum Erlingo dynasta pugnare, aliud, frumentum triturare, cui negotio pertica satis bene convenit. Hic vir, cui Eyvindo nomen erat, respondit: arma, quibus usurus sum, obviam mihi ab oppido venient, nam adhuc ab oppidanis gestantur. Cui Hjarrandius Hvida[3]: dictum egregie, inquit, haud dubie vir fortis es. Dein gæsum suum et securim manuariam ei tradidit, his armis eum pugnare jubens. Birkibeini ad oppidum contenderunt, et in oppidanos in agro supra turrim, haud procul extra oppidum, inciderunt. Rex Magnus Erlingusque dynasta[4] sexcentos milites habebant. Hic vehementi acrique certamine, sed non diutino, pugnatum. Thorer Spæla[5] vexillum Erlingi dynastæ ferebat. Complures utrimque ceciderunt, plures tamen ex Magnianis. Mox, quo loco vexillum Erlingi præferebatur, acri impressione facta, Thorer necessitate compulsus perticam vexilli humi defixit, ut erecta staret. Tum acies dynastæ retro cedere; eoque tandem res deducta est, ut qui e Birkibeinis audacissime progressi essent, vexillum a tergo relinquerent;

1) *cet. omnes;* Orkadalo, *A.* 2) Hjarrandius Hvida, *B.* 3) Hurda, *G.* 4) amplius, *add. G.* 5) Spola, *G, F.*

qui vero sequebantur, dynastam eo loco adesse opinati, ne sui fugam corripuissent, vererentur. Qua re animum adversa, rex Sverrer perticam dissecari jussit. Hoc ipso temporis momento medium dynastæ corpus gæso compunctum est. Tunc militum aliquis: periculosa puncta domine! Ille contra: fortiter vexillum regis sequiminor, mihi non hæc plaga nocebit. Paulo post sacerdos Özur et Helgius Thorfinni filius prope ad dynastam accesserunt. Dynasta transversam faciem Özuris cecidit, graviqne vulnere fœdavit, quo facto consedit. Ad quem vocis jam usu destitutum cum rex Magnus accessisset, sic locutus est: geniali die congrediemur, pater! Labra dynastæ, utpote jam moribundi, spasmis distorqueri cœperant. Eo loco dynasta totaque cohors, quæ ab eo proxima constiterat, cecidit; quo facto reliquus exercitus in fugam conjectus est. Rex Magnus cum magno suorum numero in oppidum refugit, conscensaque Ryda[1], quæ dynastæ fuerat, flumine secundo avectus est. In agro ceciderunt Sigurdus Nicolai filius, Jon Randabergensis, Ivar Hortius, Einar Parvus præfectus, Botolvus Fjordensis cum duobus filiis. Bjorn Bukkus, qui in flumen se præcipitaverat, quod lorica indutus erat, extemplo submersus interiit; plures præterea in flumen se dejecerunt, quorum alii perierunt, alii salvi evaserunt; ibidem Ivar Sveinis filius et Guttormus Sneril cecidere; hi omnes præfecti erant regis Magni. Eo loco sexaginta fere aulici, multique alii homines occubuerunt. Rex Sverrer Olavsuda, cui rex Magnus antea præfuerat, et plerisque hostium navibus potitus est; suas quoque naves, quas ab rege Magno Erlingoque dynasta pulsus reliquerat, recepit.

---

1) Ruda, *G*; navi, *F*.

Oratio ab rege Sverrere in funere Erlingi dynastæ habita.

38. Corpus Erlingi dynastæ a meridiana templi parte sepulcro illatum est; nunc autem ejus sepultura intra templum est. Ubi corpus humatum erat, rex Sverrer talem orationem ad sepulcrum habuit: nullo modo convenit, funus adeo nobilis viri, cujus nunc celebramus exsequias, silentio præteriri. Magna jam facta est, ut videre vobis licet, temporum mutatio, resque mirum in modum se convertere, quippe cum hoc tempore unus vir (me ipsum intelligo) trium virorum, nimirum regis, dynastæ et archiepiscopi, vicibus fungatur. Hic multas et videre et audire licet majoris momenti res, easdemque, ut par est, in primis gratas; quod et ad hoc templum et multa alia eorum, qui castra regis Magni secuti sunt, complura corpora comportata sunt. Nimirum, id quod inter multos haud dubie constat, archiepiscopus Eystein compluresque alii viri clerici ordinis dicere sunt soliti, qui castra regis Magni sequentes ejusque regnum defendentes vitam profudissent, horum omnium animos, priusquam sangvis humi friguisset, Paradisum ingressuros. Itaque, si verum est, quod dixit archiepiscopus, omnes, qui cum Erlingo dynasta cecidissent, sanctos fore, nobis omnibus hoc loco tot virorum haud dubie divorum sanctitati magnopere gratulandum est. Ex quo facile intelligere possumus, qua sanctitate ipse Erlingus gaudeat, qui primus svasor fuerit, ut Magnus, vixdum egressus pueris, rex crearetur, hujusque auctoritatem ad hoc usque tempus semper promoverit ac fulserit. Quare, nisi archiepiscopus nimio partium favore impulsus ista dixerit, dubitandum non est, quin apud Deum omnipotentem intercessione sua multum valeat.

Verum ea jam facta rerum commutatio est, ut eorum exsequias nunc celebremus, qui diu et nobis et multis aliis terrori fuerunt. Multos quidem in hujusce viri funere lugentes video, qui, si meo funeri operam darent, etsi negligentiori apparatu fieret, magnopere lætarentur. At vero, cum vobis sæpius fuerit demonstratum, qualis utrosvis mansura sors foret, cum vitam tali casu amisissemus, hoc imprudentium, nec benevolorum esse videtur. Mihi quidem utrisque nostrum satis ampla gaudii materies esse videtur, quod fata humana ex ipsius Dei voluntate sic decreta fuerunt; nobis quidem, quod ad meliorem frugem redire, vitamque securiorem, quam ad hoc tempus licuit, agere possumus; neque enim eos, quorum nunc exsequias celebramus, est quod timeamus. Vobis vero morte eorum, qui discessu e vita sejuncti a vobis sunt, multo magis exsultandum videtur; atque jam diligenter promissum ab archiepiscopo datum considerate. Tantum jam temporis abiit, ut friguisse sangvinem necesse sit; atque etsi eorum miraculis lætari nondum nobis liceat, tamen hoc temporis puncto eorum, qui in divorum numerum sunt referendi, haud dubie magna in oppido copia subito exstitit; quos tantum abest ut amiseritis, ut iidem nunc vobis præclarum fructum operum suorum sint ostensuri, si eos, ut constituistis, tanquam sanctos colitis. Quodsi vero, ut mihi præsagit animus, res adeo inique se habet, ut periculum sit, ne splendida promissa illis data in cassum reciderint, dubium non est, quin jam satis diu et ipsi et omnes, qui rem crediderunt, hujus mendacii pœnas dederint. Nunc mihi res alia ratione tractanda videtur; pro his, qui de hac vita migravere, supplicemus, Deumque precemur, ut Erlingo dynastæ omnia peccata, quæ dum in

hac vita fuit admittebat, ignoscantur; et in primis, quod, cum præfecti tantum dignitate gauderet, tantam in se admisit audaciam, ut regium nomen filio suo dari juberet, atque insuper factionem excitaret, signumque adversus regum filios, regem Hakonem et regem Eysteinem, ferret; quos utrosque regno vitaque spoliavit, atque ab eo inde tempore regnum unacum rege Magno non majori, quam jam commemoravi, jure retinuit. Etiam pro animis omnium, qui et nunc et antea in hoc injusto tumulto ceciderunt, supplicemus, Deumque, ut his omnia peccata ignoscat eorumque animos servet, precemur; equidem omnia, quæ in me deliquerunt, Dei causa condonare volo. Hic igitur quisque agat, quod placeat, quodque maxime conducere putet et sibi et eis, qui de hac vita migrarunt, tam repente avocati, ut nec sacra cœna frui, nec peccata confiteri liceret, animo minus præparato magisque hostili, quam nunc optaturos esse reor. Nam quæcunque animarum illorum causa feceritis, salutare vobis optimoque commodo futurum, in me recipere potius audeo, quam indubium esse, hos deprecatoribus non egere. Hæc cum rex dixisset, orationem suam ad ea, quæ more recepto in funere nobilium virorum dici solent, revocavit: primum sacris doctoribus pro cantu funebri pulcraque oratione ab iis habita gratias egit, deinde omni multitudini pro precationibus aliisque officiis, quibus pro suo quisque ingenio mortuos amicos aut cognatos cohonestasset. Suum quemque propinquum aut amicum ea, qua quisque vellet, diligentia componere ad sepulturam jussit: se eorum, qui a nullo efferrentur, funera curaturum. Rex ita finem dicendi fecit, ut oratio ejus omnibus pergrata esset, multorumque secunda acclamatione exciperetur.

De Magno et archiepiscopo.

39. Rex Magnus cum militibus, quibus in prælio fortuna pepercerat, meridiem versus Bergas profectus est. Hic archiepiscopum Eysteinem Ormumque regis fratrem convenit, quibus res, quæ gestæ erant, nuntiavit. Tum quoque suis et oppidanis ad concionem vocatis, quantum vulnus accepisset, demonstravit, et simul auxilium eorum imploravit. Cui regis orationi respondens archiepiscopus, omnes strenuos viros ad regnum ejus confirmandum, ipsumque in obtinendo regno et regia dignitate adjuvandum paratos esse ostendit: nam congressus ille eum quem multi optassent exitum, domine, habuit, ut tu, qui toti populo es acceptissimus, incolumis redieris. Nam, etsi Erlingus dynasta sapientia et potentia valebat, tamen ea fuit ferocia, ut multis ægre ferendus videretur. Nemo autem recusabit, quin omnia vitæ pericula pro salute tua adeat, ut tuam regiam auctoritatem et regnum recuperare possis. Insigni præsentium applausu excepta est hæc oratio, omnesque sese malle cum rege Magno cadere, quam regi Sverreri operam dare, confirmaverunt. Quibus actis rex Magnus cum suis orientem versus in Vikam profectus est, ibique hiemem transegit, magnum militum numerum compluresque proceres secum habens; hi copiis multum valebant, et in bello adparando navibusque ædificandis occupati erant.

De rege Sverrere et Birkibeinis.

40. His omnibus rebus gestis, quas supra commemoravimus, prostrato Erlingo dynasta, factoque quo cecidit prælio, auctoritas regis Sverreris tantopere crevit, ut nemo, rege Magno suisque exceptis, tota Norvegia inveniretur, quin eum regem appellaret. Cumque ad id tempus contumeliosum existimaretur, sicubi proceres in

emporiis aliisve locis versarentur, si quis nomine Birkibeini appellaretur, ab eo inde tempore hæc appellatio pro honoris titulo habita est, iique, qui sic appellati sunt, magni æstimabantur; et qui antea fuerant operarii, partim etiam prædones et homines seditiosi, iidem, posteaquam in exercitu regis Sverreris fuerant, victoriamque reportarant, splendidum cultum et coccina gerebant, armaque eximia, antea ab aulicis aut præfectis Magni regis gestata. Atque, si qui ex his, qui eos ante vidissent, vultum eorum agnoscerent, etsi iidem essent, qui antea pauperes fuerant, tamen dissimulabant, ac ne ipsi quidem pristinæ vitæ memoriam recordari poterant. Constat inter omnes, in tota Norvegia fortiores milites non exstitisse, quam qui eo tempore cum rege Sverrere versabantur; quod idem ipse sæpius postea testatus est, priscorum illorum Birkibeinorum recordans, quoties suos vitæ dissolutæ aut vinolentiæ nimis indulgere, excubias negligentius agere, aut aquarum injurias et ærumnas laboresque, quibus exploratores in bello obnoxii esse solent, parum patienter ferre animadverteret. Mox Sverrer aulicis stipendium dedit, variisque honoris titulis ornavit, præfectosque totius Thrandheimi constituit.

Argentum in lacerna repertum.

41. Acciderat in Vika ad orientem, ut mendica quædam anus obiret. Hæc moriens lacernam reliquerat, cui insuta ingens argenti summa reperta est. Quod ubi milites regis Magni compererunt, lacernam ceperunt et igni cremarunt, argentum inter se diviserunt. Quo cognito Birkibeini cognomen lacernæ heredum sive Heklungorum iis indiderunt.

Somnium regis Sverreris.

42. Antequam cecidisset Erlingus dynasta,

rex Sverrer somnium vidit, ex quo se scire existimavit, quem exitum congressus cum dynasta habiturus esset. Visus sibi est in cœnaculo quodam, quod in oppido erat, dormire; noctem lucidam esse sciebat; virum conspexit in cœnaculum ingredientem, qui ad lectum, in quo quiescebat, accedens, sic locutus est: surge, Sverrer, et sequere me. Hic vir ei adeo terribilis visus est, ut imperata non facere non auderet. Idem vir oppido egressus, ipso sequente, in superiora tetendit, donec in locum pervenit, ubi igni forte accenso tostum corpus humanum impositum erat. Tum vir in somnis apparens Sverrerem considere cibumque sumere jussit, corpusque ei apposuit. Respondere sibi visus est, id quod animus svadebat, se nunquam palato abominanda (cadavera) edisse, neque tum esurum esse. At vir in somnis apparens: tu vero esto, inquit, et edere cupis, atque sic jubet, qui omnia gubernat. Itaque visus sibi est cibum sumere, carneque, quo obducta crura erant, vesci, stomacho quamque offam refugiente. Cumque satis diu comedisset, eo minus appositas carnes aversatus est, quo propius summum corpus attigisset. Ut vero ad caput pervenit, hoc quoque comedere cupivit; sed vir, a quo in eum locum ductus erat, capite ad se recepto, desistere eum jussit; tumque non magis a desistendo erat alienus, quam ab incipiendo refugerat, et tamen desistere coactus est. Deinde in oppidum reversi eandem domum intrarunt. Cumque eundem lectum, e quo surrexerat, conscendisset, ducem suum egredientem conspexit; quo facto somno experrectus est. Eoque ipso rex Sverrer suos tantopere, ut oppidum adgrederentur, hortatus fuerat, quod somnium sic erat interpretatus, per corpus igni impositum significari Er-

lingum dynastam, tunc temporis ætate admodum provectum, regisque Magni et suorum senescentem auctoritatem vigoremque enervatum; quod cum comedisset, se per suos maximam partem præfectorum et aulicorum deleturum; cum vero caput intactum reliquisset, regem Magnum salvum evasurum.

De rege Sverrere.

43. Posthæc complures e communi Thrandorum, divitiis et generis nobilitate valentes, ad regem Sverrerem confluxerunt, multique, qui domi remanebant, amicitiam ejus sibi conciliarunt. Tum rerum suarum rationes fidei Thrandorum in primis commisit, quod hi, ut ex supra memoratis rebus, dynastam Thrandosque intercedentibus, apparet, Erlingo dynastæ hujusque imperio se semper infideles præbuerant. Ex quo tempore rex Sverrer Thrandheimum domicilium suum appellare consvevit, ipsosque Thrandos omnium regni incolarum carissimos sibi reddidit, in sermone suo frequentem mentionem inferens, quam constantem amicitiam regi Sigurdo, patri suo, aut regi Hakoni fratri, aut Eysteini Birkibeino Thrandi exhibuissent, quantaque fide sub eodem semper signo meruissent. Rex Sverrer aliquantum temporis in emporio commoratus, copias ex toto Thrandheimo evocavit, cibaria et milites imperavit, navesque colonorum e pagis adduxit. Quibus rebus comparatis meridiem versus ad regem Magnum insequendum profectus est; qui, cum Bergas venisset, jam antea cum omnibus suis in partes orientales concesserat. Rex Sverrer, cum omnibus præfecturis, quas a borea proficiscens obierat, præfectos præfecisset, auctumno proxime insequenti in emporium reversus est, ibique hiemem transegit.

De rege Magno et cæde Heklungorum.

44. Vere insequenti rex Magnus totam militum universitatem ex meridianis regni partibus, inde a Lidandisneso, ex Agdis borealibus, Rogalandia, Hordia, Sognio, Fjordis, utraque Mæria et Romsdalo evocavit, quem universum exercitum eodem vere septemtrionem versus in Thrandheimum duxit, concomitantibus Eysteine archiepiscopo, Ormo regis fratre, Nicolao et Philippo, filiis Arnii regis affinis, omnibusque præfectis ex meridianis regni partibus; quod testantur sequentes versiculi:

Sequebantur regem
Rugii et Hordi,
Fjalenses et Sognienses,
Fjordensiumque manus,
universi Mærienses,
incolæ Romsdalenses,
archiepiscopus
totumque Thrandorum commune.

Rex Magnus, classe in Thrandheimum deducta, naves ad prædium Steinem[1] a meridiana promontorii parte constitutas aliquot noctium spatio in ancoris tenuit. Rex Sverrer, qui eo tempore in emporio se continebat, Thorolvum[2] Rympilem, Thjostarem Nigrum, Eyolvum[3] [Aflii[4] filium[5], Havardum Laxum cum magna manu misit, prædarum occasiones captaturos, si quos de exercitu Magni regis intercipere possent. Hi ad prædium Langloas dictum pervenerunt, et in valle arboribus obsita, quæ eo loco ad mare pertinet, delituerunt. Nec prius Magniani animum adverterunt, quam Birkibeini eos oppressissent. Rex Magnus in terram egressus erat, in balineum, quod in prædio Steine erat, iturus;

[1]) *om. G;* Bensteinem, *B.* [2]) Tjodolvum, *B.* [3]) Eyolvi filium, *F.* [4]) Aplii, *B.* [5]) *a signo omitt. F.*

cognito autem adventu hostium, celeriter ad naves rediit. Hic Birkibeini triginta ferme homines, quotquot in litore deprehenderunt, occiderunt. Ubi vero Magni regis milites, sumtis armis, in terram excurrerunt, Birkibeini fuga salutem petierunt, negotioque tali modo peracto in emporium reversi, regi Sverreri quæ gesta erant retulerunt.

Literæ a rege Sverrere regi Magno missæ.

45. Posthæc rex Magnus classem ad Holmum appulit, ibique paulisper est commoratus, rege Sverrere interea se in oppido comparante. Dein rex Magnus nave missa, præfectis Birgere Garna et Thrando Lyrta[1], colonum quendam nomine Haflium[2] ad se adduci jussit, hujus enim filius Eyolvus, aulicus erat regis Sverreris; quem cum secum habere cuperet, viro cuidam, nomine Hedini ex Ladis, literas dedit in oppidum perferendas, in quibus hæc erant scripta: si patris vitam servare vellet, ad se veniret, sibique subditus esset. Hedin in oppidum profectus, Eyolvo literas dedit; qui, rem suam in magna difficultate versari intelligens, regem Sverrerem adiit, eique literas tradidit. Quibus perlectis, rex: pauci, inquit, talia ad me perferunt; huic rei facile remedium inveniemus; eum, qui literas pertulit, ad me adduc. Rex alias literas conscribendas curavit, in hanc sententiam: si quam, rex Magne, noxam aut vim Haflio inferes, Eilivum Eplastangam, Skrudu-Eirikum et Eindridium Slandrium interficiendos curabo; horum enim filii, Thorer Knappus, filius Eindridii, Ulvus Knerius, filius Eiriki, et Gunnar, filius Eilivi, apud te versantur; illi eodem quo Haflium afficies mortis genere afficientur, ipseque Eyolvus supplicium de eis sumet. Missus, his acceptis man-

1) Hvida, *G.* 2) Aplium, *B.*

datis, discessit, regique Magno literas tradidit; quibus cognitis, ira incensus, literas manu tenens e celsa puppi procucurrit, dicens: intelligo, vos jam vitæ necisque arbitrium vobismet ipsis, mea auctoritate neglecta, reservare statuisse. Hic Ulvus, Thorer et Gunnar se interponentes, regem, ut iram deponeret, orarunt, dicentes, ipsi, uno interfecto colono, haud faciliorem ad regnum aditum fore, seque patrum suorum vitam crudelitati regis Sverreris objecturos negarunt. Qua re factum est, ut Haflio domum redeundi venia concederetur.

Reges se ad prælium comparant.

46. Rex Magnus per aliquot dies colloquii causa Eyras advectus est, rege Sverrere obviam descendente, regnique ex dimidio partitionem proponente, ita, ut uterque regio nomine uteretur, quemadmodum filii regis Magni Nudipedis aut filii Haraldi usi fuissent; qua de re etsi multum disputaretur, tamen inter eos non convenit, quod rex Magnus, suorum aliis hortantibus, aliis dissvadentibus, depacisci ad has conditiones noluit; unde factum, ut re infecta digrederentur, rege Magno cum suis ad Holmum revecto. Rex Magnus ac sui, ad Holmum consistentes, consultabant, qua ratione oppidum adgrederentur, persvasum habentes, regem Sverrerem, ut ab arce lignea abscederet, haud facile impelli posse. Tum ancoras summa diligentia malis alligandas curarunt, eo consilio, ut prope Eyras remis advecti, malos cum ancoris in aciem colonorum dejicerent. Sed ut hæc res præparata quidem, non effecta est, sic alia multa strategemata excogitarunt, quorum nihil perfecerunt. Die lunæ, tempore dierum commodorum, cum rex Magnus colloquii causa Eyras advectus esset, alteri alteros ad prælium provocarunt. Bir-

kibeini regem Magnum, ut classem ad Eyras appelleret, hortabantur; rex Magnus illos, ut arce lignea excederent, prælioque secum in campis Ilæis dimicarent. Tum rex Sverrer: vobis, inquit, quæ nunc petitis, libenter pollicemur. Itaque ab utroque rege constitutum est, ut proximo mane in campis Ilæis convenirent, ibique prælio decertarent. Quibus actis rex Magnus ac sui ad classem revecti sunt. Rex Sverrer suis omnibus, quid constitutum esset, palam faciendum curavit, præcepitque, ut se confessione peccatorum armorumque apparatu quasi futuro prælio præpararent. Die Martis, tempore dierum commodorum, oriente sole, rex Magnus suos, signo tuba dato, naves Holmo solvere jussit; qui tentoriis navalibus raptim detensis, continentem petiverunt, classeque sub rupe extra Ilam appulsa, in terram egressi sunt. Tunc rex Magnus ingentem illum dromonem ducebat; hic in ancoris constitutus, celoces et minora navigia remis ad terram appulsa. Rex Magnus suique omnes Steinbjarga ascenderunt, eoque loco considentes exspectarunt, dum sol longius in cœlum progrederetur, ne eum semper adversum intuerentur. Hic aliquantum temporis commorati descenderunt aciemque instruxerunt. Tum rex Sverrer ex arce lignea egressus, aciem instruxit, quo facto in campos sub ipsam rupem contra illos processerunt. Rex Magnus aulicos vexillumque suum in cornu ad mare verso collocarat; eo enim loco vexillum regis Sverreris, quod magnitudine et splendore insigne erat, præferri animadverterat, ipsumque regem sub eodem versari opinabatur. Sed hoc signum erat Gudlaugi aulæ magistri, quem oppidani, pagorum incolæ et milites evocati sequebantur; nam rex Sverrer vexillum suum a loco superiore secundum ru-

pem ferri jusserat, nondum enim omnes Magniani, a quibus acerrimum exspectavit impetum, de rupe descenderant. Rex Magnus magnum numerum militum, qui Birkibeinos a tergo adorirentur, in insidiis collocarat; his præerat Nicolaus Arnii filius, frater Ingii regis. Quibus rex Sverrer manum opposuit, præfecto Ulvo Lauvnesensi. Quo factum est, ut manus a Nicolao ducta nulli omnino usui regi Magno esset.

Oratio regis Sverreris coram exercitu habita.

47. Rex Sverrer, antequam acies concurrerent, apud milites concionans hunc in modum verba fecit: hic magnus hominum numerus splendidusque exercitus convenit, credoque nunc apparere, nobis esse cum impari copiarum numero dimicandum: cohortes enim Magni regis, auratis armis pretiosisque vestibus fulgidæ, totam planitiem occuparunt; quæ utraque si vos hodie vesperi in oppidum referetis, rem præclare gestam putabo. Animadvertite, milites, bonum esse duas habere conditiones, unam, ut fortiter pugnando victoria potiamur, alteram, ut fortiter pugnantes mortem oppetamus. Haud perinde est, ac si in silvam ad materiem cædendam proficisci jubeamini, cum vobis res cum præfectis Magni regis cominus gerenda est, nihilque habet turpitudinis et inferre graves ictus et accipere. Congruunt in hanc rem sequentes poetæ versus:

Haud, qui dynastam infesto gladio impetit,
perinde est, ac si ligna findat arida.

Idem testatus est colonus aliquis, qui cum filium suum ad naves bellicas deducens bonis consiliis adjuvaret, eumque, ut se fortem ac laborum patientem præstaret, hortaretur: fama cuique diutissime superstes, inquit; quo quæso te modo gereres, si in prælium iens præscires, tibi esse pereundum? Cui filius: quî tum parcerem, quin

gladium ad utrumque latus vibrarem? Senex iterum: faciamus, inquit, posse aliquem tibi pro certo affirmare, te prælio non casurum. Filius contra; quid igitur dubitarem, quam strenuissime operam navare. Senex: scilicet, in quocunque prælio verseris, alterutrum erit, ut aut cadas, aut salvus evadas; quam ob rem audacia ideo adhibenda est, quod omnia sunt prædestinata: qui certæ morti non est destinatus, hunc mortem obire nefas; cui mors fatalis, eidem et inevitabilis; in fuga mors turpissima. Septem[1] delecti viri, in quibus Thorolvus Rympil ejusque frater Carolus Kjotlær, ante primam aciem in prælio progrediebantur. Porro rex Sverrer locutus est: jam vobis, Birkibeini, persvasum esse debet, difficile fore pacem ab Heklungis impetrare, quamobrem id solum restat, ut quam firmissimo gradu consistatis, et hostem a progrediendo prohibeatis. En, bella vobis occasio offertur, Birkibeini, aciem gladiorum in abdomine Vikensium, mulsi potatorum, experiundi. Manum habemus et ornatu et numero ad pugnandum satis spectabilem; hostes vero copiis adeo abundant, ut iis omnibus in prælio uti non possint, et plerique eorum milites tales sunt, ut ad sponsas deducendas, quam ad rem militarem aptiores sint, utpote mulsi potu, quam militiæ labore adsvetiores. Aulicos meos vexillumque meum contra vexillum Magni regis constituam, ab ejus enim aulicis acerrima pugna et impetus nobis exspectandus est; præfecti autem occasionem quærent periculi evitandi, colonorum vero multitudo, quam invitam et coactam huc rapuerunt, haud curabit, utri cadant, modo ipsi non vulnerentur; ego certo scio, omnes Thrandos ita esse animo comparatos, uti poeta cecinit:

[1]) duodecim, *G.*

Mecum venustam jungere destinatum est
pulcris labellis Ingunnam[2] spectabilem,
quemcunque tandem pugna regum illustrium,
Magni ac Sverreris, exitum nactura sit.

Jam operam strenue navate, milites; Deus rem nostram respiciat! Hæc oratio magnum ad exhortandos Birkibeinos momentum habuit, nunc enim, ut antea, regis prudentiæ et adhortationibus, ejusque de præliorum eventu præsagitioni fidebant.

Prælium inter reges, Sverrerem et Magnum.

48. Post hæc acies concurrunt; mox acerrimum prælium factum; nec antea unquam Birkibeini pugnam tantis copiis commiserant, quanquam rex Magnus numero longe erat superior. Quo loco vexillum regis Sverreris, omnibus aulicis et speculatoribus ejus circumsistentibus, præferebatur, eo loco, acie Magni regis inclinante, initium fugæ factum est; ex altera autem parte, qua vexillum regis Magni inferebatur, eo loco, acie Gudlaugi aulæ ministri et oppidanorum cedente, prope factum est, ut Birkibeini fugerent, ac jam nonnulli in pedes se conjecerant. Sed rex Sverrer, equo insidens, fuga suorum conspecta, concitato equo advectus magna voce exclamavit: quid fugitis? in prælium redite, et quam fortissime pugnate! nonne Heklungos ad naves refugientes videtis? nunc strenue operam navate, et fugientibus, ut qui strenuissime, instate! Quo audito sui, regem conspicati, in prælium redire ausi sunt. Cum vero aulici regis Sverreris universum robur exercitus Magniani terga vertere vidissent, eo se converterunt, ubi ejus vexillum animadverterant, hostesque a tergo adorti sunt; hic magna strages est edita.

1) Jorunnam, *G, F.*

Tum aliquis militum: jam rex Magnus terga vertit. Cui aliquis, hauddum, inquiens hominem invasit, eique letale vulnus inflixit; is ipse erat rex Magnus. Moxque ipse cum omnibus suis naves fuga petiit. In hoc prælio cecidit Philippus Arnii filius, Brynjolvus [Blanda, filius Eindridii Jonis filii[1]. Ivar Gallius graviter erat vulneratus. Pulsis hostibus, rex in locum, ubi cæsi jacuere, equo vectus in Ivarem incidit, quem corpore ex equo inclinato interrogavit, an vulnera sua sanari posse crederet. Ille respondit, se haud desperare vulnera sua coitura, si medici statim adducerentur. Haud procul inde vir quidam graviter vulneratus jacebat, Brynjolvus, filius Kalvi legati Færeyensis; qui in genua se erigens, intentato in regem gladio collum petiit; hic autem ora cassidis ictui objecta mucronem excepit, ferro, auri decisa, collum haud leviter vulnerante, quo facto rex se in contrariam partem ex equo dejecit: ac mox gladii et gæsa in Brynjolvum adeo dense ingesta sunt, ut vix cadere ob multitudinem telorum posset. Quo tumultu occisus est Ivar Gallius, ejusque cognatus Gyrdus[2] Skjomius, qui humeros ejus sustinebat. In campis Ilæis hi præfecti cecidere: Nicolaus Mondul, [Andreæ filius[3], Jon Kula[4], Kolbein Gislii[5] filius et Eirikus[6] Laukus[7]. Nicolaus Mondul ceteros homines virium magnitudine superabat, tantæque firmitatis loricam[8] habebat, ut ferro violari nequiret. Hic utraque manu gladium librans pugnabat, et ceteris prostratis aliquamdiu solus pugnam sustinebat; sed tandem lassitudine confectus procubuit, loricaque

---

[1]) Blandii filius, Eindridius Jonis filius, *G.* [2]) Sigurdus, *cet.* [3]) *B, F;* Andreas, *A; om. G.* [4]) Kallius, *B;* Bisius Skreppi filius, *F.* [5]) Gillii, *G.* [6]) Einar, *B.* [7]) balneator Spiknevi filius, *F.* [8]) et ocreas, *add. F.*

exutus et a Birkibeinis interfectus est. Rex Sverrer ingentem illum dromonem multasque alias naves cepit. Birkibeini, navibus celeriter conscensis, fugientes insecuti, ad Digurmulum Eindridium Kalvi filium cum triginta viris ceperunt, quos vita donaverunt, Eindridio in terram elabente. Alteram navim intra Raudbjarga, duas onerarias ad Stadum ceperunt. Nicolaus Arnii filius cum sua cohorte per Gaularasum contendit, indeque Steinem profectus, ibi celocem quandam sumsit; magna pars militum Magni regis terrestri itinere effugiebat. Rex Magnus cum reliquis copiis meridiem versus Bergas profectus et a Bergensibus liberaliter exceptus est. Hic cum conventum haberet, oppidani oraverunt, ut ibi commoraretur, dicentes, vero esse simile Sverrerem brevi eo adventurum, regique Magno operam suam ad defendendum oppidum obtulerunt. Dein rex Magnus omnes naves mercatorias, quæ erant in oppido, sumi, easque ab insula usque ad pontem[1] monachorum collocari jussit, omnesque inter se junctas pontibus ex utraque parte alligavit, ut per transversum sinum pedibus iri posset. Sed motus auctoritate consiliariorum, dicentium, non adeo credendum esse Bergensibus, ut se navesque suas in sinu includeret, inde discessit, cursuque meridiem versus secundum litora directo in Daniam ad regem Valdamarum, cognatum suum, pervenit, apud quem aliquantum temporis commoratus est.

De rege Sverrere et tumultu colonorum.

49. Eadem æstate rex Sverrer a borea meridiem versus profectus, proximo die ante festum Petri Bergas pervenit, omnibus oppidanis vitam pacemque concessit, et ab iis eo quo

[1]) pontes, *F.*

par erat honore exceptus est; jamque totam hanc provinciam sibi subjecit. Præfecti autem inter se consultarunt, utrum Paulum, regis Magni præfectum, invaderent, an Bergas proficiscerentur. Decreverunt, ut Paulum invaderent; maneque imparatum opresserunt, non animum advertentem, priusquam tubarum sonitum foris exaudiret. Paulus ac sui, dereptis tentoriis navalibus, hostem fortiter exceperunt; hic magna edita strage cecidit Paulus Andreæ filius cum magna suorum parte. Eadem hieme, proxima nocte post diem lunæ secundæ hebdomadis longi jejunii, accidit, ut excubitores regis Sverreris naves longas, quarum una signum sublime præferebat, sinum remis intrare animadverterent, magnumque armorum fremitum a classiariis excitatum audirent. Mox signo ab excubitoribus tuba dato, Birkibeini magnum in oppido strepitum concitarunt: nam rumor ferebat, regem Magnum cum classe advenisse. Hic multi celeriter vestibus se induerunt, alii arma sumserunt, alii non; omnes fugam corripuerunt, alii templa, alii montem petierunt, aliis alia ex oppido aufugientibus. Eo tempore rex Sverrer cubiculo egressus, in porticum processerat; is, primo tubæ sonitu audito exclamavit: adsit nobis Deus et rex Olavus sanctus! Mox in aream desiliit, et per plateas in interiora oppidi cucurrit, nemine prius obvio, quam ad cœnobium monialium adscendisset. Hic ei colonus quidam obviam venit, equo vectus; qui, rege ut equum sibi traderet postulante, tergiversatus hunc se traditurum equum pernegavit. Itaque equus iste regi magno pretio conciliandus erat, nam denuntiavit, si alio pacto impetrare non posset, armis extorsurum. Adeo ei tunc jumento opus erat, ut vi de eo equo contendere cogeretur, quo ne magno qui-

dem proposito auri argentique pondere, nulla adactus necessitate vehi voluisset; postea enim sæpius dicere solitus est, nunquam se pejori equo vectum fuisse. Hoc tamen Alrekstados vectus, aliquot ibi Birkibeinos offendit. Hic paulum commorantibus, Birkibeini bini aut terni, quaterni aut septeni ex oppido advenerunt. Jam fama allata est, hunc colonorum, non Magni regis exercitum esse, atque sic re vera erat; hi enim erant Vorsi, Ostroenses[1] et Hordi boreales. His copiis præerat Jon Kutiza; qui classem ad naves, quæ apud pontem Jonicum stabant, remis incitatam appulerant; hic egressi, acie in campis Jonicis instructa, ad intimum fere sinus recessum penetrarunt, nec tamen hac vice incursionem in oppidum fecerunt. Parte exercitus ad Holmum exposita, in terram extra cœmeterium ædis Christi egressi, tubas inflarunt, bellicumque clamorem ediderunt; quidam in ædes regias irruperunt, timidius se gerentes. Birkibeini vero, cum ob tenebras nocturnas exercitum eorum videre non possent, ideo fugam capessiverunt; nam, si certo comperissent, quales hæ copiæ essent, eas facile repulissent: hæc enim pars exercitus colonorum minor erat, quam quæ ultra (sinum) in campis stabat. Rex Sverrer, cognito, has colonorum copias, non Magni regis milites esse, suos omnes, qui eo advenerant, convocatos reverti in oppidum jussit, dicens, copias, audito Andvakæ tubæ suæ sonitu, extemplo conventuras, opinari enim, partem magnam militum in templa aut diversas oppidi partes diffugisse, omnesque si possent ad signa sua reversuros. Atque quo tempore rex in oppidum descendebat, cœlo jam primum albescente, copiæ ad eum confluere cœperunt; ubi vero ad ædem

[1]) Rugii orientales, *F.*

Olavi pervenit, et Andvakam inflari vexillumque erigi jusserat, omnis Birkibeinorum multitudo, quæ in ædes Olavo, Cruci, Nicolao dicatas, et in ædem lapideam confugerat, multique præterea ex oppido ad eum venerunt. Quo facto rex, acie supra ædem omnium sanctorum instructa, orationem ad milites habuit, eosque, ut in hoc prælium fidenti animo irent, hortatus est; nam coloni, inquit, quo plures sunt, hoc majorem a nobis cladem accipient. Tum universi Birkibeini uno ore conclamarunt, ultima mala ei imprecantes, qui colonorum multitudinem timeret; mox edito clamore bellico, ex acie in campos procucurrerunt, magnoque fremitu et clamore, vehementique exhortatione impetum in aciem colonorum fecerunt. At coloni, exadversum orientem lucem constituti, cum vexillum regium sublime ferri conspicarentur, magno pavore perculsi sunt; mox tela Birkibeinorum in eos involare cœperunt. Quo facto qui primus in acie colonorum constiterat, ab hoc initium fugæ factum est, et deinceps unus post alterum in pedes se conjecit. Quos Birkibeini a tergo adorti, pecudum instar trucidarunt. Pars colonorum ad naves fugiebant, pars in mare se præcipitabant, quorum multi periere, pars natantes capti. Birkibeini eos ad litus pepulerunt. Cumque primi fugientium pulsi erant, rex in campos reversus, itinere intra recessum sinus circumflexo in oppidum contendit, quo complures coloni ad eum venerunt, quibus omnibus, qui in ejus potestatem se tradidissent, vitam concessit. Rex per oppidum transiens, omnia templa majora osculatus est; tum dies illuxerat. Jon Kutiza, quippe annis et corpore gravis, e navibus non egressus erat. Coloni, ut primum assequi naves poterant, e sinu remigarunt, ut quisque primus evaserat, ita maxime

lætatus. Et vulgo existimatum est, neque id immerito, nunquam potuisse tantas copias conatibus turpius excidere.

Compositio colonorum cum rege Sverrere.

50. Haud ita multo post rex Sverrer cum classe celocium meridiem versus secundum litora profectus, Hardangrum intravit plurimaque Hordiæ loca obiens, multas ob violatam pacem et stipendia ab incolis exegit, quod cumplures ex Hordis meridianis exercitui colonorum se adjunxerant. Vorsos quoque et Hordos boreales ad se venire jussit, quorum complures in gratiam cum eo redierunt, multi meridiem versus in Vikam ad regem Magnum, si eum forte convenire possent, profugerunt. Rex Magnus hanc hiemem in Dania apud regem Valdamarem, cognatum suum, liberaliter habitus transegit. Idem omnibus Vikæ præfecturis suos præfecerat, indeque tributa ac mercedes redegit. Ormus regis frater plurimum in Vika commorabatur, nonnullique alii præfecti; quidam in Dania apud regem Magnum versabantur, qui omnes magna hominum frequentia erant stipati. Procedente longo jejunio, Ormus regis frater copias suas meridiem versus obviam regi Magno duxit. Interim rex Sverrer Bergis, donec festum paschatis exiisset, commoratus, iter inde apparavit, magnas ornatasque copias, naves ingentes et frequenti milite instructas habens. Tunc rex Sverrer coram suis ita dixit: nunc fidelitatem omnium regis Magni præfectorum, præterquam Nicolai Kuvungi, in loculis meis habeo; quæ verba eo spectabant, quod omnes præfecti Magni regis literas clam ad regem Sverrerem miserant, in quibus pacem et integram amicitiam ab eo exposcebant; quas literas rex in loculis suis servavit.

De congressu regum in freto Saltoensi, rebusque inter eos intercedentibus.

51. Aliquanto post hebdomadem paschatis rex Sverrer Bergis profectus, orientem versus secundum litora navigavit, quoscunque adiisset populis ei se libenter submittentibus. Deinde orientem versus in Vikam iter fecit; omnibus locis tributa, expensas bellicas, omniaque, quæ a colonis postularet, accepit. Hic regem Magnum cum copiis in Dania versari comperit. Rex Sverrer longius orientem versus in Vikam contendit, et in ancoris ad Spjoram in freto Salteyensi stabat. Forte aliquo die evenit, ut rex in insulam ad excubitores egressus, cum rupem quandam ascendisset, multas naves velis ab oriente ferri conspicaretur. Rex naves bellicas esse præmonens, omnes navales copias in terram ad concionem tuba evocari jussit. Quo facto ita ad milites concionatus est: rex Magnus suas copias adversus nos ducit, et haud dubie nobis, Birkibeini, hac quoque vice cum longe superiori hostium numero armis dimicandum erit. Verum, quamquam magnum militum numerum habeo et ad pugnandum idoneum, tamen viros (rei militaris) peritos, ut Havardum dynastæ filium, Ulvum Lauvnesensem, Ulvum Flyum, aliosque prudentes viros, qui in nostro exercitu sunt, consulendos existimo, utrum acie cum rege Magno contendamus, an boream versus in eas regni partes confugiamus, ubi aliquos fortasse amicos habemus, cum hic nullos habeamus. Nunc, Deo auspice, aliquod salutare ac celere consilium capiamus! Tum Havardus dynastæ filius: ego vero extemplo meam voluntatem aperiam: navibus conscensis tentoriisque navalibus raptim detensis ex hoc immensæ longitudinis sinu remigemus: deinde malis sublatis vela septemtri-

onem versus demus, nec hoc loco cum rege Magno, numero copiarum multo prævalenti, confligamus. Hujus enim terræ populum, si naves nostras amittimus, multo ferociorem, quam pessimos ethnicos, experiemur; qui hoc loco in potestatem Heklungorum aut Vikensium pervenerit, ei nulla spes salutis reliqua est. Hæc oratio magna acclamatione excepta, consiliumque ejus ab omnibus probatum est; itaque ex portu remigarunt. Cum vero Birkibeini vela sustulissent, classis regis Magni a meridiana freti parte obviam eis ferebatur; primumque celoces Heklungorum tam prope Birkibeinos, ut sub ictu teli essent, accesserunt, neque enim se cum majoribus navibus conjungere audebant, quod tum futurum putabant, ut res necessario ad certamen veniret. Eyolvus Aflii filius, qui celoci Revæ dictæ præerat, in navem Ulvi Flyi, celoce a puppi ejus religata, transscendit. Vehebatur nave Ulvi Paulus Flida, filius Nicolai Kuvungi, ætate puer, quem Birkibeini paulo ante vivum ceperant unacum educatore ejus: hic accurrens, puero in ulnas recepto, in celocem desiliit et extemplo vincula præcidit; quo facto celocem a navi depulsam milites Magni regis ceperunt, et ita Nicolaus Kuvungus filium suum recuperavit. Utrique telorum conjectu vulnerabantur, pauci ceciderunt; utrique simul velis remisque ferebantur, unde naves majores Magni regis ad ictum teli pervenire non potuerunt; omnia cohortantium vocibus sonituque tubarum erant plena. Rex Sverrer, celoce conscensa, propter naves suas remigans, suos consiliis adjuvit, eosque vela cito convertere et naves in angustum quoddam fretum inter insulas dirigere jussit; quod et fecerunt. Classiarii vero regis Magni, qui cursum per medium fretum tenebant, Birkibeinos

jam efugisse animum non adverterunt. Rex Magnus ingentem navem, nomine Skeggium, viginti et sex interscalmiorum, ducebat; cujus vela tarde demitti, ipsa navis multo tardius, vento adverso, remis propelli potuit. Hic ceteri classiarii ad eum remigantes cum eo colloquebantur, svadentes, ut recta tenderent. [E celocibus autem regis Magni et navibus, quæ subsequebantur, Birkibeini duas naves[1], phaselum, cui præerat vir, nomine Andreas, et celocem ceperunt, omnibus ad unum, qui utraque navi vehebantur, interfectis. Rex Sverrer, altum tenens, aquilonem versus trans sinum Foldensem navigavit, iter quam maxime accelerans, donec Bergas proxima ante dies pentecostales hebdomade pervenit, ubi aliquantum temporis commorabatur. Rex Magnus, magna quoque usus celeritate, ab oriente trans Vikam navigavit, omnibusque exoptatus advenit. Tunsbergum delatus, paulisper ibi morabatur; inde septemtrionem versus iter convertit, immenso copiarum numero stipatus, regemque Sverrerem, cursu dies noctesque boream versus continuato, insequebatur, neque nisi ventis adversis detentus in portibus morabatur.

Oratio et consilia regis Sverreris.

52. Die dominica proxima post festum paschatis rex Sverrer cum copiis Bergis versabatur; omnes naves ejus paratæ et procinctæ (cinctu bellico incinctæ, pluteis lateralibus communitæ) ad pontes stabant; maxima militum pars in navibus, pars in oppido quiescebat. Rex Sverrer prima jam aurora e lecto surrexit, et adscenso clivo ad ædem Olavi, indeque ad excubitores suos se contulit. Hic celocem conspe-

[1]) *a signo sic habet F:* Celoces vero Magni regis, et qui Birkibeinos remis insequebantur, duas naves eorum, *quod forte rectius se habet.*

xerunt in sinum a meridiano Nordnesi latere remis advectam ad Holmum adpelli, hominesque confestim in terram excurrere. Quibus obviam descendens rex suos esse speculatores cognovit; cumque convenissent et inter se salutassent, regi nuntium afferunt, se vela conspexisse regis Magni numero amplius triginta, classemque modo a meridie per Hardsæum navigasse. Rex, "atque nimis prope nos", inquiens, accitum tubicinem vehementer inflare tubam jussit. Ipse, navi sua extemplo conscensa, navalia tentoria removeri, navemque in sinum remis evehi jussit; quod idem sui omnes fecerunt, classem in sinu una constituentes. Hic rex coram exercitu orationem habuit, sic dicens: rex Magnus cum copiis suis propediem nos conveniet, classem habens, ut haud dubie cognostis, amplius triginta navium, cum nos tantummodo sedecim naves habeamus. Non dubito, quin parvam successus spem habere vobis videamur, si cum tantis copiis nobis dimicandum sit, ut reliquum nobis esse videatur, in septemtrionales regni partes profugere. Quare vos consultos volo, utrum his copiis, quas habemus, prælium committere, an fugam capessere malitis. Verum ex quo tempore ad Hattarhamarem fugimus, ad id tempus, cum victoriam ad Hirtæ pontem reportavimus, res nostræ statu iniquissimo esse mihi visæ sunt. Jam nuper a rege Magno ad orientem in Vika pulsi fugimus, quare suspicor, si etiam nunc sine prælio aufugimus, haud magnum terrorem a nobis ad adversarios profecturum. Hic cum complures se ad fugam esse proniores ostenderent, tamen rem regis arbitrio permiserunt; magnusque inter milites fremitus exstitit, quod cum numero hostium impari esset confligendum. Tum rex Sverrer clara voce locutus est: quæ Dei regisque Olavi

sancti voluntas est, pro certo habeatis velim, mihi deliberatum esse, cum rege Magno acie contendere, neque diutius ante litora profugum jactari. Et quamvis numero longe inferiores sumus, tamen naves ingentes habemus, a militibus et armis bene instructas, ut Heklungi, priusquam digrediamur, diu in memoria sint habituri, quanta Birkibeini dexteritate armis uti possint. Hac quoque vice faciamus, ut iis eadem, quæ antea, quoties nobiscum congressi sunt, accidat pedem referendi necessitas. Solent quidem primum impetum satis fortiter excipere, sed ad continuos labores perferendos minus se constantes præbere consverunt; vos contra, quo labor et major et longior, eo vos firmiores et acriores præstatis. Hoc etiam vobis affirmare mihi licet, in eorum exercitu haud dubie alterum quemque militem subito timore perculsum iri, ubi vos audacter contra euntes viderit, pluresque fugam capere, quam vestris ictibus se objicere cupituros. Nunc mihi præsagit animus, nos ab iis victoriam esse reportaturos; raro vos ea, quæ ego prædixeram, cum congressi fuimus, fefellerunt. Hac vice, sicut antea, nostra ut ceterorum omnium fiducia in Deo ejusque sanctis, non in copiarum multitudine posita est. Meam igitur causam ad Deum omnipotentem regemque Olavum sanctum sanctamque Sunnevam rejicio, et Deum precor, ut pugnam inter me et regem Magnum ex utriusque causæ bonitate decernat. Hæc regis oratio magna omnium acclamatione excepta est, dicentium: hæc omnium regum felicissimus dixeris! quæ de reportanda victoria prædicere nobis solitus es, nunquam nos fefellerunt. Is ignominia notetur, qui timore ac metu fugere malit, quam pugnare et, si aliter fieri non possit, fortiter cadere. Tum rex: pro his, inquit,

responsis multa vobis a Deo et me merces defluet; jam fidenti contra hostes animo sitis; nunc adversum eos remigemus, pro sua quisque fortitudine navem in aciem producat; naves autem inter se copulari nolo. Post hæc extra Nordnesum remigarunt, ubi cum paulisper commorati essent, classis Magni regis a meridie advecta Hvarfsnesum prænavigavit, et sinum celeriter adpropinquans vela quam citissime collegit. Hic rex Magnus, classe ad colloquium tuba convocata, orationem ad milites habuit, et hunc in modum verba fecit.

Oratio regis Magni coram exercitu habita.

53. Jam nobis videre licet naves Birkibeinorum, qui etsi diu hoc vere a nobis fugerint, tamen nunc idonea nobis occasio offertur prælio cum eis dimicandi. Sed si qui sint in nostro exercitu, qui nunc recordari nolint cædem cognatorum suorum a Birkibeinis interfectorum, aut vexationes, quibus ab eis sumus afflicti, quid hos ad impugnandos Birkibeinos hortari juvet? Etsi vero singula ita comparata videantur, ut spes sit, fore ut talis sors et clades ad eorum factionem redundet, qualem ab ipsis antea accepimus, tamen minime idonei sumus, qui cum eis congrediamur, propterea quod nobiles ac fortes viros eis opposuimus, illi contra nihil habent nisi fures, latrones et prædatores, a servis et mendicis oriundos, quos Deus pervertat! Neque nostris nobilibus cognatis eo magis erit parentatum, si hos omnes ad unum interfecerimus, quod facere nobis opprobrio esse non potest. Ut meam voluntatem vobis aperiam, veto, ne quis nostrorum tantæ sit audaciæ, ut vitæ gratiam ulli faciat. Habemus et satis numerosum et ornatum exercitum. Primum in eos impetum adeo acrem faciamus, ut altero non egeant.

Exiguam manum habent, Deoque habenda gratia est, quod supremus eorum vitæ dies haud dubie propediem instat. Olavsudam densis navium ordinibus, quantum spatium patitur, circumstipemus; qua propugnatoribus nudata, reliquos animum submissuros opinor, quos deinde nostris celocibus et navigiis levioribus circumveniamus, nec unam quidem navem effugere patiamini. Tum Ormus, regis frater: mea sententia est, inquit, ut huic prælio ita nos præparemus, ac si Birkibeini, etsi numero inferiores, nobis restituri nostrumque fortiter impetum excepturi sint; est autem magnopere necesse, pro se quemque rem quam fortissime gerere. Mea igitur sententia est, ut primum omnes naves eorum, quæ quidem minimæ oppugnatuque facillimæ sint, milite denudemus; non enim, opinor, majoribus navibus vecti remorum auxilio e manibus nostris effugere poterunt. Quæ etsi Ormus in medium proponeret, tamen regis auctoritas valuit. Rex Magnus Skeggium[1] ducebat: Ormus, regis frater, Gragasam; Narvius Sastadensis et Steinfinnus[2] Hofdabuzam[3]; quæ tres naves[4] ad Olavsudam se applicuerunt. Præter hos regem Magnum sunt comitati Asbjorn Jonis filius ex Thjorna, Nicolaus Kuvungus, Paulus Smattauga (ocellus), Jon et Munan, filii Gauti Ornesensis[5], multique alii nobiles viri. Naves habebant duas et triginta. Post hæc classem remis incitantes impetum fecerunt, Birkibeinis contra e sinu remigantibus; atque sic a septemtrionali Nordnesi latere congressi sunt.

Prælium inter reges ad Nordnesum.

54. Hi erant in exercitu regis Sverreris

---

[1]) sex (septem, *B*) et viginti interscalmiorum, *add. F*, *B*. [2]) Steinfidus cognatus ejus, *G*. [3]) viginti quinque interscalmiorum, *add. F*, *B*. [4]) quatuorque aliæ, *add. B*. [5]) Ænesensis, *B*.

præfecti: Ulvus Lauvnesensis, Ulvus Flyus, Havardus dynastæ filius, Bardus Guttormi, Ivar Silkius[1] et Gudlaugus Valius. Olavsuda, quam ducebat rex Sverrer, viginti et quinque erat interscalmiorum, a propugnatoribus satis bene instructa; totidem interscalmiorum erat Garna, quam Gudlaugus Valius[2] ducebat. Harknivum, viginti trium interscalmiorum, speculatoribus instructum, Audbjorn ducebat; Fjardakollam, domesticis stipatoribus completam, Asgeir Hamarskallius. Birkibeini multas ingentes naves habebant. Concurrentibus inter se navibus, Olavsuda in extremo cornu ferebatur, cujus lateri exteriori hostes undecim naves majores applicuere. Hic acriter et diu pugnatum. Magni regis milites Olavsudam vehementer oppugnabant, saxa, tela, gæsa ingerentes; quod vero proras obverterant, cominus pugnandi locus non dabatur; tanta tamen in Olavsudam ingruebat telorum vis, ut ex tribus in quoque semiinterscalmio propugnatoribus alibi unus, alibi nemo consisteret. Ubi vero milites regis Magni, lapidibus ac telis deficientibus, navem conscendere parabant, Birkikeini, armis sumtis, alii alios hortari, ut resisterent; tum compluribus, qui antea conjectu lapidum ac telorum procubuerant, resurgentibus, pro se quisque quam fortissime operam navare, et acerrimum impetum facere. Rex Sverrer, candido pallio eximie subtexto indutus, rubroque scuto tectus, in munimentum ligneum insiliit, suosque magnopere cohortatus est. Dein conversus, cum ad sinistrum Olavsudæ latus respiciens, Gudlaugum aulæ magistrum eo loco navem suam constitisse, neque longius quam ad posterius sentinæ interscalmium provexisse animum adverteret, eum inclamavit, tabem ei im-

[1]) Selkius, *G.* [2]) aulæ magister, *B.*

precans, qui navem viginti et quinque interscalmiorum ita in aciem produxisset. Cui respondens Gudlaugus, rem in sua potestate non esse causabatur. Tum rex navem Gudlaugi, arrepto pilo laterique proræ incusso, dimovens, suis præcepit, ut eam antrorsum secundum Olavsudam protraherent. Illi sic fecerunt, atque ita naves ad anterius sentinæ interscalmium provecta est; et paulo post nemo erat in nave Gudlaugi ante malum constitutus, cui non sangvis manaret. Hoc prælium erat acre, magnaque edita strages. Audbjorn speculatorum præfectus navem suam speculatoriæ regis Magni applicuit; et summis vulgo laudibus celebratum est, quanta utrique audacia rem gesserint, neque se quisquam scire posse existimabat, uter utro superior discessurus foret.

De Halvardo Gæla.

55. Vir erat nomine Halvardus Gæla, ex Vika oriundus, artis jaculandi peritissimus. Hic hoc die sagittam in navem Magni regis misit, qua navem supervolante, alteram in latus, tertiam sub carinam emisit. Tum militum aliquis: dexterius, inquit, hac ipsa æstate destinata feriebas, quando de pecunia certabatur, argento proposito, qui optime jaculatus fuisset; nam tum præmium abstulisti, et quid jaculandi arte posses, ostendisti; hoc autem tempore major necessitas postulare videtur, ut destinata ferias et vitam regis defendas. Cui Halvardus: tibine collineasse videor? Ille: nemo nunc intra nostram navem est, qui æque a scopo aberret. Tum Halvardus sumtas duodecim sagittas in navem regis Magni arcu emisit, et quamdiu jaculabatur, singulis singulos homines percussit, donec omnes sagittas emisisset. Quibus duodecim consumtis, arcum pedi subjectum diffregit. Tum

rex cur arcum ita tractasti? adhuc enim est eadem opera opus. Cui Halvardus: jam, quid jaculando valeam, ostendi, neque tamen eo minus, haud secus ac ceterorum aliquis, locum meum adhuc tuebor. Quo dicto, gladio et scuto assumtis, ad latus navis procedens, omnium fortissime pugnabat.

Rex Magnus vulneratus, Heklungi fugati.

56. Post hæc accidit, ut rex Magnus in anteriorem navis partem progressus, in interscalmio anteriore magno fervore pugnaret, adeoque prope ad Birkibeinos accederet, ut in ipsam navis oram altero pede insiliret, virum quendam gladio petiturus. Quem Birkibeini ex armis ac vestitu dignoscentes, crebra in eum tela ingerebant. Vir quidam gladium in eum conjecit, qui in convexum pedem illapsus transvolavit. Rex, cum celeri corporis conversione sibi consuleret, fallente alterius pedis vestigio in tabulato navis, cruore lubrico, resupinus cecidit. Quo viso Birkibeini victoriam extemplo conclamarunt. Tum Ormus regis frater suos ita est allocutus: quid iste sibi clamor vult? Cui aliquis, voce sublata: nunc rex Magnus cecidit, inquit. Hic Ormus: itaque de regni divisione decretum est; vincula ferro dirumpite, et quam vehementissime remis aufugite; quod et fecerunt. Quo facto Asbjorn Jonis filius fugæ se mandavit, et alius deinceps post alium. Rex Magnus cito resurgens, suos inclamavit, ne fugerent, sibi enim nihil mali accidisse. Sed omnes se audire dissimulabant. Dein Skeggium ab Olavsuda solutum remis abripuerunt. Birkibeini vero Hofdabuzam injectis manibus ferreis retentam milite nudarunt. Ad extremum Steinfinnus solus ex omnibus constitit, magna se fortitudine defendens; quem Birkibeini

prius expugnare non potuerunt, quam eum conto in prora arrepto percussissent, quo facto magna cum laude fortitudinis occubuit. Hoc loco Birkibeini complures naves expugnarunt, multis suorum amissis, totus vero exercitus Magni regis unacum ipso aufugit.

De Ormo regis fratre.

57. Ormus regis frater, quod navem magnitudine et gravitate ad remigandum tardiorem habebat, ad Gravdalum appulit, eoque loco cum omnibus suis egressus est. Birkibeini navem et omnia, quæ in ea erant, ceperunt, quidam montem ad Ormum persequendum cursu citato petierunt. Ille, quippe corpore gravior, a duobus ducebatur. Quos insequentes Birkibeini cum adpropinquare cœpissent, Ormus, dirupta grandi, quam in cinctu gerebat, crumena, argentum effudit. Speculatores quidam ex Birkibeinis, qui proximi erant, argentum exceperunt; cui colligendo dum immorabantur, Ormus e manibus eorum in montem evasit, illi re infecta redierunt. Rex Sverrer speculatores graviter increpuit, quod Ormum effugere passi fuissent, dum ipsi ob aliquot argenteos numulos per virgulta pronis corporibus repsissent. Birkibeini vulneribus et ictibus adeo laborabant, ut fugientibus longius instando vires non suppeterent. Hic duodeviginti naves Magni regis captas in oppidum deduxerunt; eodem prælio magna præda potiti sunt, eo enim tempore rex Magnus pecunia abundabat. Rex Sverrer paulum in oppido commoratus est; suos in naves, quas regi Magno eripuerat, ad gubernandum distribuit; emissis exploratoribus itinera regis Magni observabat.

Rex Magnus Bergas, rex Sverrer boream versus in emporium proficiscitur.

58. Rex Magnus itinere non intermisso

meridiem versus Stavangrum profectus est, quo magna pars reliquiarum exercitus convenit. Quantum constabat, numerus eorum, qui ex utriusque exercitu ad Nordnesum ceciderant, non minor trecentis sexaginta repertus est. Eirikus episcopus Stavangriensis regem Magnum liberaliter excepit, eumque ut Bergas reverteretur magnopere hortatus est, dicens vero esse similius, Birkibeinos minus esse ad pugnandum paratos. Quo consilio a rege probato, Eirikus episcopus quot potuit socios navales subministravit, navem longam suis domesticis instruxit, ipseque regem Magnum comitatus est. Rex Magnus, magnam præterea multitudinem ex pagis nactus, paucis inde noctibus intermissis boream versus Bergas profectus est, iter quam maxime accelerans. Eyolvus Aflii[1] filius, qui eodem tempore celoce vectus speculatum excurrerat, non prius animum advertit, quam classem regis Magni sibi in ipso freto obviam conspexit. Suis inter se colloquentibus, se incautius remigasse, interim Eyolvus, dispecto consilio, suos in fretum remis provehi jussit, Heklungos simulantes; recto cursu, inquit, in navem regis Magni tendamus, quasi novi aliquid apportaturi. Quos Heklungi recta ad se tendere conspicati, suos esse opinabantur, regi aliquid novi apportaturos. Ubi vero adpropinquarunt, et Heklungi suos non esse agnoverunt, navalibus tentoriis raptim detensis, in eos remigarunt. Birkibeini autem remos strenue impellentes celocem ex freto meridiem versus proripuerunt. Quos Heklungi remigando insequebantur, navi, qua vehebatur Eirikus episcopus, fugientibus proxima. Hac navi, quæ Birkibeinis proxima instabat, complures clerici ordinis viri

[1]) Haflii, *F.*

vehebantur, qui tamen eos assequi non potuerunt. Quos cum Eirikus episcopus tardius subsequi animadverteret, præcepit ut navem quam celerrime ad terram abriperent, et clericos in terram exponerent, ita enim, navi onere levata, fugientes capi facile posse. Sic factum. Interea, Eirikianis hæc administrantibus, Birkibeini fugam omni studio accelerantes e manibus episcopi stipatorum effugerunt, cursuque in altum directo libero mari Bergas reversi sunt, regi Sverreri nuntium attulerunt, hasque res, quas tam clare viderant, narrarunt. Ubi vero Birkibeini resciverunt, regem Magnum cito esse adversus se venturum, rex Sverrer, concione suorum habita, quænam ineunda ratio esset, consuluit. Hic omnes multo quam antea ad pugnandum erant segniores, potiusque boream versus profugere maluerunt, dicentes, se ad prælium minus esse paratos, complures graviter vulneratos, omnes defatigatos, prælio paucis ante diebus cum numero hostium longe superiori commisso; quin multi profitebantur, se ad Nordnesum adeo laborasse, ut, nisi stataria pugna fuissent impliciti, fugam libenter capere voluissent. Isque est colloquii finis factus, ut decretum sit, itinere quam celerrime comparato boream versus effugere. Dein copiæ in naves, ut omnes quodammodo pares navigando essent, dispositæ sunt. Rex Eyolvo Aflii filio Hofdabuzam, quam Narvius duxerat, ingentem navem, armamentis vero pæne destitutam, ducendam dedit. Eyolvus Aflii filius, nuntium apportans, sero vespere in oppidum pervenerat; sequenti vero mane, sole orto, necdum longe in cœlum progresso, rex Sverrer cum omnibus copiis oppido erat profectus, tantaque sociorum navalium paucitate laborarat, ut ad malos erigendos velaque tollenda

scaphis inter naves vehi coacti sint. Circa vero horam pomeridianam tertiam ejusdem diei Eyolvus oppido solvit. Ut autem velum sustulerat, classem conspexit regis Magni a meridie Hvarvsnesum præterferri. Heklungi, nave Eyolvi conspecta, Birkibeinos esse rati, ne prædam e manibus dimitterent, eos quinque navibus velis insecuti, boream versus usque in Furosundum aufugere coegerunt. Id summam Birkibeinis difficultatem creabat, quod, quamdiu controversiæ inter regem Magnum et regem Sverrerem durabant, omnibus locis a meridiano Stadi latere sitis, quocunque exploratores misissent, sive colonos aut incolas, sive mercatores aut piscatores convenissent, nunquam nisi falsa iis de itineribus regis Magni aut militum ejus dicebantur, idque si vel nonnisi procurrens lingula, aut, si in terra versarentur, clivus inter eos intercederet. Omnes contra, si milites regis Magni numero essent superiores, de rebus Birkibeinorum, ubicunque constituti essent, nuntiabant; quæ res Birkibeinis magnam sæpe cladem ac vitæ periculum attulit. Omnium autem, tam amicorum quam inimicorum, judicio, eo tempore in explorando audacissimi esse, sæpius ab insequentibus, nulla omnino apparente salutis spe, effugisse, sæpeque se contra eos, ex quibus nulla spes victoriæ esset, convertisse existimabantur. In prælio Nordnesensi cecidit Sindrius Snæbjornis[1] filius et Narvius Guttormi, e regis Sverreris exercitu complures. Fert etiam sermo hominum, nullum prælium a rege Sverrere factum majori animorum ardore, nullum certamine magis ancipiti, antequam fortuna victoriam decerneret, commissum fuisse. Neque vero regis Magni milites minori audacia instabant, donec fugam

[1]) Sæbjornis, *B, F.*

capessiverunt: quinimo primo jam prælio se victoriam manibus attigisse putabant, maxime eam ob causam, quod Birkibeinos pugnæ navalis minus peritos putarent: namque antea aliquando acciderat, ut hi in partibus borealibus ante Gaularasum[1] navali prælio superati fugam cepissent. Rex Sverrer maxima celeritate iter boream versus faciens, Thrandheimico sinu intrato Nidarosum pervenit, ubi bene exceptus est. Huc subductis navibus, se in oppido comparare instituit: tum arx lignea, quam archiepiscopus Eystein ad campos Ilæos exstruendam curaverat, diligenter restaurata est. Tum quoque rex Sverrer palos ab arce per exteriora secundum mare defigendos curavit, quod opus ea æstate absolutum non est.

De Eiriko Sigurdi filio, ferroque candenti ab eo gestato.

59. Eodem vere Eirikus quidam ad regem Sverrerem pervenit; is se Hierosolymam profectum, accensum sebaceum manu tenentem in amnem Jordanem descendisse ferebat, ipseque ac sui testati sunt, eum priusquam in fluvium descenderet, Deum obtestatum esse, ut faceret sebaceum ardentem ex aquis emergere, modo regis Sigurdi filius esset; atque comites eum cum ardente sebaceo e fluvio emersisse affirmarunt. Eirikus stipendia Constantinopoli apud regem Manuelem[2] fecerat, multisque meridianæ Germaniæ locis apud complures nobiles viros versatus fuerat; erat vir prudens multarumque rerum apprime peritus, parva statura, facie minus pulcra. Hic a rege Sverrere veniam oravit, ut candenti ferro gestando, se a stirpe, qua se ortum putaret, descendere, nempe regis Sigurdi

[1]) Hattarhamarem, *G.* [2]) imperatorem Manuelem Comnenum (1143—1180).

filium esse, sibi probare liceret. Primum rex Sverrer, hac re ad principes delata, consilia ab iis petiit; deinde eam in aulicorum conventu pronuntiavit, dicens se universorum aulicorum sententias scire velle. Responsum est ab universis, se regi Sverreri, nec ulli alii operam dare velle; prudentiores vero et consiliorum intimi hortabantur, ut Eiriko venia probandi generis paterni concederetur. Itaque rex Sverrer Eirikum his compellavit: hortantibus amicis tibi veniam ferri candentis gestandi dare volo, ut Deus genus tuum paternum probet. Etsi vero res ita cadat, ut frater meus filiusque regis Sigurdi esse proberis, tamen nomen atque regnum, quod obtineo, tanto mihi stetit, egoque ipse et Birkibeini tantas ærumnas et difficultates pertulimus, tantisque in periculis versati fuimus, ut neque tibi, nec ulli alii regium nomen aut quod habeo regnum dare aut concedere velim. Hanc tibi conditionem, si libeat, bona cum gratia meaque venia accipere licet; aliter hinc tuto, sicut pervenisti, discedito. Eirikus, ut qui esset ore diserto, regi pro hac re prolixe gratias egit, dicens, hanc paterni generis probandi conditionem se libenter accepturum, et ab eo inde tempore res suas omnes Dei regisque potestati permissurum. Neque ita multo post Eirikus ferro gestando se jejunio præparavit, quod cum gestaretur, rex Sverrer ei jusjurandum in hæc verba præivit: in eam rem manus tuas sanctis reliquiis sanctoque libro imponis, Deumque contestaris, ut ita tibi manum a ferro incolumem reddat, si re vera filius es regis Sigurdi meusque frater. Tum Eirikus: ita Deus faxit, ut manum meam ab hoc ferro integram referam, si filius sum regis Sigurdi; nam hoc ferrum ad meum ipsius paternum genus probandum, non aliorum, gestare

volo. Ex hac jurisjurandi formula ferrum gestavit, probationisque tentamine feliciter defunctus est. Quo facto rex Sverrer, agnita quæ sibi cum eo intercederet necessitudine, principem inter aulicos constituit. Eirikus erat vir gratiosus omniumque modestissimus, suosque satellites lautius, quam plerique ceteri, habebat.

Pacis conditiones Magno a rege Sverrere oblatæ, regumque colloquium.

60. Rex Magnus, copiis Bergas ductis, ver ibi consumsit; quo jam procedente, suis ad profectionem paratis, boream versus in emporium profectus, posteriori festo Olavi eo pervenit. Interim rex Sverrer se in oppido comparavit, magnum militum numerum secum habens: ei enim coloni operam suam polliciti erant, magna quoque in oppido erat hominum frequentia, quæ, ut consvetudo fert, in oppidum symposiorum tempore confluit. Rex Magnus diu in ancoris ad Holmum stetit, quod minus tutum judicabat oppidum aggredi, tanta hominum multitudine congregata, quanta regem Sverrerem stipatum esse animadvertit; quam ob rem exspectare statuit, donec dies symposiorum transissent colonique discessissent. Hoc temporis intervallo reges paulisper quovis die inter se colloquebantur, rege Sverrere easdem ac antea conditiones regi Magno offerente, ut regnum æquabiliter inter se partirentur, rexque Magnus eligendi potestatem haberet; cujus colloquii is erat exitus, ut rex Magnus conditiones nec acciperet, nec respueret. Post hæc rex Sverrer, concione in oppido tuba advocata, colonis has conditiones, quæque inter se collocuti essent, exposuit. Regis oratio magna acclamatione excepta, omnesque se vehementer lætari dixerunt, si pax convenire posset, atque magnopere hortabantur, ut rem iterum ad

colloquium referrent. Durante colloquio induciæ pactæ. Rex Magnus una celoce vectus ad Eyras appulit, rex Sverrer in Eyris equo insidebat, magna stipatus hominum multitudine, quorum plerique coloni et oppidani erant, scire cupientes, quæ reges inter se colloquerentur, aut qualis futurus esset colloquii finis. Hic Nicolaus Arnii filius primus omnium, nomine regis Magni, verba fecit, cujus oratio secundum ea, quæ antea acta fuerant, ad pacem reconciliandam spectavit; is longam et disertam orationem habuit. Milites regis Magni aliquot celoces in amnem remis incitarant, quibus obvii Birkibeini descenderant, ac cerevisiam delicatiorem sibi ex oppido afferendam curarant, quo facto omnes una in Bratteyra consederant, ibique potabant et inter se colloquebantur. Qui etsi diversarum partium essent, tamen inter complures eorum consangvinitatis aut affinitatis aut pristinæ amicitiæ necessitudo intercedebat. Post hæc rex Sverrer dicere orsus est, se ad pacem cum rege Magno faciendam, quo pacari regnum posset, promtum esse; easque conditiones iterum obtulit, ut regnum ex dimidio inter se partirentur, ita ut uterque rex esset, sicut olim fuissent filii regis Magni Nudipedis, aut filii regis Haraldi Gillii; namque ex quo rex Magnus Bonus dimidiam regni partem regi Haraldo patruo suo concessisset, sæpissime duo reges creatos, et interdum plures uno tempore Norvegiæ præfuisse; ipsos priscorum regum exempla sequi, non inconveniens esse. Hanc regis orationem coloni et oppidani magna acclamatione comprobarunt, testantes eum optime dixisse. Tum rex Magnus surgens, clara voce et primum quidem moderate locutus est in hanc sententiam: quod ad reges a te exempli loco adductos attinet, quos eodem tempore

binos præfuisse Norvegiæ ais, audio huic partitioni amorem et affectionem inter fratres aut alios propinqua necessitudine junctos locum dedisse, quæ consortio ad postremum semper discordias peperit, interdum exitiosa fuit, quod ipsum [nostram causam[1] proxime attingit, et tamen inter illos leviores, quam inter nos, controversiarum causæ primo intercesserunt; intelligo meas ipsius clades, fortunæ vitio præcedenti tempore acceptas, cædesque nobilium virorum, mihi et propinquorum et amicorum; ex quo fit, ut, etsi ad iniquiores aliquas conditiones descendam, certo sciam, mihi et Sverreri haud facile fore, his interspersis dissidiorum seminibus, aulicos in eodem emporio aut in eadem stipendii communitate continere. Quamobrem, etsi hujus rei periculum fiat, pacem haud fore diutinam arbitror. Ad hæc rex Sverrer: hoc quidem verum est, rex Magne, quod de pace dixisti, fieri posse, ut ab aliis rumpatur, etsi nos eam servare velimus. Quam ob rem, ne nostra controversia diutius tot hominibus calamitatem afferat, cum meis copiis e regno excedam, si vos interposito jurejurando mihi dimidii regni administrationem concedere velitis, ut mihi integrum sit, meos, pace et libertate securos, huic parti præficere; tribus hiemibus hoc modo peregre transactis cum rediero, tu in vicem cum tuis in tres hiemes regno decedito sub iisdem conditionibus, quas vobis modo obtulimus. Ad hæc rex Magnus: ad eam conditionem depacisci volo, ut tu, Sverrer, vosque, Birkibeini, regno excedatis, et ad hanc insuper, ut nunquam revertamini. Ego universi populi auctoritate a legato Romano inauguratus coronatusque fui; inter inaugurandum juravi, me leges conservaturum, armis

[1]) nostra tempora, G, B.

que terram, quam per inaugurationem accepi administrandam, ab avaritia et vexatione malorum hominum defensurum, et pollicitus sum, vitam potius profusurum, quam fidem jurisjurandi violaturum. Penes Deum esto, quam diu vivendum mihi sit; verum nullus induci possum, ut violato ob timorem jurejurando, quod inter inaugurandum juravi, regnum tecum, Sverrer, partiar, qui jam centum et viginti aulicos præfectis ortos, sedecim[1] præfectos, illumque [decimum septimum[2], in quo uno majus quam in omnibus, quos modo numeravi, damnum factum est, Erlingum dynastam dico, patrem meum, vestra, Birkibeini, opera amiserim. Accedit alia causa, cur facere nullo modo possim, ut regnum tecum, Sverrer, partiar, quod tibi, natalium habita ratione, neque hic neque aliis locis jus regiæ dignitatis competere existimo; quare certum mihi est, aut totam Norvegiam obtinere, aut totam cum ipsa vita amittere. Ad hæc rex Sverrer: nunc id solum, rex Magne, loqueris, quantum a nobis detrimenti acceperis, nullam habens rationem, quæ damna nobis intulerint vestri consangvinei, quæ et majora et plura sunt, quam ea, quæ tu modo enumerasti. Nam primum rex Sigurdus, pater meus, in partibus meridianis Bergis est interfectus, deinde ad ortum in Vika rex Eystein, patruus meus; neque post multo, rege Ingio interfecto, Hakon frater meus rex totius regni creatus est; quem Erlingus Skakkius adversaria factione comparata, ad meridiem in Mæria unacum compluribus præfectis et eximiis viris prostravit: Haraldum fratrem meum Erlingus in Hvarvsneso tanquam cornicis pullum suspendi jussit: Sigurdus frater meus Bergis

[1]) septemdecim, *G;* duodeviginti, *F;* centum et viginti, *B.*
[2]) duodevicesimum, *G;* undevicesimum, *F.*

occisus est: Eysteinem patruelem meum in Reo interfecerunt. Quam ob rem idem, quod tu in me, ego jure dicere possem, me, si pacem tecum facerem, aut meum patrimonium partirer, indignum esse regis Norvegici nomine, propterea quod adhuc nunquam ante te, Magne rex, in Norvegia accidit, ut qui regis filius non esset, is rex salutaretur. Neque tamen eo minus easdem ac antea conditiones offero: in campos Ilæos escende, teque et exercitum tuum ad pugnam compara, ego vero cum omnibus copiis meis arce egrediar. At vero tu rem eodem quo antea, aut etiam pejori, quam cum proxime prælio contendimus, successu geres; jam enim Deo placebit, finem fieri injusto, quod aliquamdiu tenuisti, imperio. Rex Magnus ad hæc: haud sæpius in tuum istum campum lanionium escendemus; naves potius conscende, totidemque naves militibus imple, dein ex amne solvamus et prælio contendamus. Cui rex Sverrer: nostræ naves jam subductæ sunt, nec in præsentia ad pugnam paratæ; verum tamen tres naves comparare possum, tu vero alias tres, ut tibi placuerit, instrue: dein has sex naves committamus. Tum rex Magnus: ego commodius esse arbitror, plures milites non amittere, quam qui antea in his controversiis ceciderunt; nam verum est, quod modo dixisti, Sverrer, me sæpius militibus tuis celeriter cedere coactum fuisse: tu vero, Sverrer, quotiescunque prælia sunt committenda, te in aspretis aut latebris occultare soles; quare age, si audes, solus cum armis prodi, ego solus adversus te progrediar et ictus tecum commutabo; qui superior discesserit, is regnum et regiam dignitatem obtineto. Ad hæc rex Sverrer: nostrum, inquit, infortunium aliis satis perspicuum est, etsi ipsi armis invicem non dimicemus; nam

nostrorum militum est, in prælio pro nobis pugnare, et haudquaquam regium esse mihi videtur, singulari certamine pugnare, more athletarum, quibus nulla est propugnatorum facultas. Quod si vero, rex Magne, potius mecum solo pugnare malis, quam plures adesse, equum conscendas, egoque alterum, ludumque equestrem exerceamus; hæc enim est virorum potentium consvetudo. Prout colloquium inter reges procedebat, milites, qui una potabant, magis magisque insolescere cœperunt. Dein omnes regis Magni milites, navibus conscensis, celoces ex amne remis propulerunt.

De rebus inter reges, Magnum ac Sverrerem, intercedentibus.

61. Rex Sverrer celoces per Eyras in mare pertrahendas curavit, quas milites cito conscensas adversus Heklungos propulerunt, tam prope, ut utrique tela conjicerent. Heklungi remis aufugerunt. In hoc conflictu milites utrinque ceciderunt, complures vulnerati sunt; Karlus Kjotlær letale vulnus accepit. His gestis rex Magnus celoces Holmum ad classem reduxit; paucis vero noctibus intermissis e sinu Thrandheimico egressus, meridiem versus Bergas revectus est, nullo ea vice prælio commisso; hiemem proxime insequentem Bergis transegit. Æstate præcedenti rex Magnus impensas bellicas omniaque vectigalia inde a meridiana parte Stadi usque ad ostium sinus Thrandheimici redegerat; rex autem Sverrer nihil habuit, quo milites per hiemem aleret, nisi quod ex Thrandheimo accepit. Hic cum comperisset, regem Magnum cum omnibus copiis, plerisque concomitantibus præfectis, Stadum prætervectum esse, id consilii cepit, ut iter per mediterranea in Uplanda ingrederetur, relictis cum magno mili-

tum numero, navium custodiendarum causa, in Thrandheimo Eiriko fratre, in Folskna viro, nomine Kolo Isaki filio, multisque aliis centurionibus. Rex Sverrer iter in Uplanda continuavit, suis in pagos præmissis, qui, si quos ex Heklungis capere aut prædas agere possent, insidias facerent. Hi Ozurem filium Jonis Vagadrumbi et [Eyvindum Dyrium[1], aliosque permultos interfecerunt. Dein rex Sverrer Osloam descendit, suosque per totam Vikam præfectos constituit; Heklungi autem diffugerunt, alii orientem, alii septemtrionem versus ad regem Magnum, eumque de itineribus regis Sverreris certiorem fecerunt.

Prœlium inter regem Magnum et Eirikum, victi et cæsi Birkibeini.

62. Rex Magnus copias suas divisit, quarum maximam partem, præfecto Ormo regis fratre, orientem versus in Vikam adversus regem Sverrerem misit; ipse cum septem navibus longis unaque celoce profectus, cursum boream versus secundum litora direxit, et in Thrandheimum paulo ante festum Martini pervenit. Sed Eirikus regis filius et Kolus Isaki, cum incertum aliquem rumorem de itinere regis Magni accepissent, vigilias in taberna symposiaca agendas curabant. Certam de itinere regis Magni famam non prius acceperunt, quam classem Digurmulum prætervehi conspicarentur. Mox omnibus copiis tuba convocatis, acies instructæ sunt, una in Eyris, altera ad Skipakrokum, cui præerat Eirikus regis filius; tertiam aciem ducebat Kolus Isaki filius, quem sequebatur pars oppidanorum, maxima vero horum pars aciem in pontibus instruxerat. Rex Magnus ac sui, cum Hol-

[1]) *sic G;* D. Durium Jonis filium, *A;* Dyrium J. f., *B;* filium Dyrii J. f., *F.*

mum prætervecti essent, vela submiserunt, navesque, malis stantibus, ferri sponte ad Eyras siverunt. Hæc acciderunt die Saturni. Ubi rex Magnus ac sui ferme ad Crucem venissent, universas naves uno loco conjunxerunt, ibique multum diei se continuerunt; nam rex Magnus cum suis deliberabat. Qui vero in Eyris stabant, magno numero adversus hostes in mare progressi, saxa jaculabantur, alii tela conjecerunt, eosque ad egrediendum provocarunt. His nihil responsi a Magnianis redditum, quod principes inter se colloquentes consilia agitabant. Hagbardus Monetarius, qui eodem tempore nuptias in oppido celebrabat, regem Magnum vocavit, dicens, se eum cum toto exercitu ad nuptias velle invitare; id quod ludibrii ergo factum est. Circa horam diei pomeridianam tertiam Magniani classem disjunxerunt, et ad remos conversi quatuor maximas naves in amnem propulerunt, alias quatuor ad Eyras applicuerunt. Rex ipse in amnem invectus, eo loco ad terram appulit, ubi signum Eiriki regis filii erat, adversariis acriter, neque diu resistentibus. Nam Magniani navium latera arenoso litori applicuerunt, pontes sub pedes ipsorum Birkibeinorum in terram exposuerunt, saxa et tela e navibus conjecerunt, ut Birkibeini pedem referrent. Quo facto Heklungi navibus egredi cœperunt, quos Birkibeini fortiter exceperunt, militibus utrinque cadentibus et compluribus vulneratis. Quo loco cum oppidanos et milites evocatos se continere distæderet, in oppidum ruere cœperunt. Ubi vero Birkibeini suam aciem rarescere, et Heklungos acriter instare animadverterunt, versis tergis aufugerunt; quos fugientes cum Heklungi vehementer insequerentur, complures ex Birkibeinis ceciderunt. Qui vero ad Eyras appulerant, ex-

templo e navibus desiluerunt, mari ala tenus pertinente: dein in litus egressi sunt, Birkibeinis obviam procedentibus. Mox acre prælium committitur. Hic Kolo militum aliquis: jam Heklungos in amne egressos puto. Cui Kolus: igitur ratio fuerit capere fugam. Tum aliquis: nonne Birkibeinis fuga nunc intempestiva? Kolus ad hunc celeriter conversus, jam hic adsunt mali illi dæmones, inquiens, eum gladio percussit, ab illo vicissim ictus. Sed cum Eirikus regis filius ejusque copiæ fugissent, pars Heklungorum Eyras versus conversa, Kolum ejusque socios a tergo adorta magnam stragem edidit; hic Kolus cum compluribus suis commilitonibus cecidit, ceteris omnibus, qui supererant, quibusque evadendi facultas data, aufugientibus. Eirikus regis filius arcem versus, indeque in Gaulardalum profugit. Una cum eo magnus aufugit militum numerus, pars sursum versus per montem, multi in templa, quorum plerique sunt interfecti, quod eo tempore nullum templum jus asyli cuiquam præstitit. Tum id factum, quod ante id tempus nunquam acciderat, ut homines æde Christi extracti necarentur. Eyvindus Skrapius nomen erat viro, uni ex priscis Birkibeinis, insigni bellatori, corporis viriumque magnitudine præstanti; hunc in choro ædis Christi comprehensum extraxerunt, trahæque impositum et in Eyras tractum interfecerunt. Gudlaugum Valium in templo comprehensum diu in custodia tenuerunt, et quæstionem de eo habuerunt, ut indicaret, quo loco rex Sverrer pecunias suas condidisset, aut ubi versaretur filius ejus Lavardus, quem Gudlaugus olim educaverat. Ille neutrum indicavit; quod in eo est postea magnopere collaudatum. Rex Magnus Gudlaugum interfici jussit, neque fere quisquam ex Birkibeinis, cujus necandi potestas

esset, pacem impetravit. Ibi rex Magnus Olavsuda potitus est, totaque classe regis Sverreris, triginta tribus navibus longis, quarum quotquot abducere poterant, deducendas et comparandas curarunt, ceteras omnes incenderunt.

De Birkibeinis et Magni regis profectione.

63. Rex Magnus, cognito, Eirikum regis filium ingentem in Gaulardalo colonorum exercitum collectitium habere, iter celeriter ex oppido comparavit. Qui cum per exteriora sinus proficisceretur, suos emisit, qui domum Haflii[1], Astis[2] habitantis, et Tostii Ystis incolentis, tertiamque domum Helgii in prædio Rydaso[3] diriperent; iidem domum Eiriki et Arnii, Eviæ[4] diripuerunt, atque omnibus locis, quæcunque, dum in Thrandheimo erant, adissent, vehementius grassabantur. [Torvius, filius Jonis Kutizæ[5] cum una navi in ostio fluminis Orknæ stabat. Eodem die Bardus Guttormi filius cum triginta viris a meridie ex Hevnio in clivum supra Tungam pervenit. Inde navem longam ad ancoras stantem conspicatus, Heklungos esse pro certo habuit; sed aggredi non ausi, eo loco pernoctarunt et valde friguerunt. Dein tres viros ad prædium Gelminium ad Ceciliam regis filiam misit, qui quid novi esset quærerent. Illa eos clam de multis rebus certiores fecit, Magnique regis milites iis locis versari. Comites Bardum hortabantur, ut impetus in hostes fieret, nev eo loco morarentur; sed Bardus aggredi hostem noluit, ejusque auctoritas valuit. Postero die Heklungi discesserunt, regemque Magnum subsequebantur. Bardus in emporium profectus,

[1]) Aflii, *G.* [2]) Ustis, *G.* [3]) *sic G, B;* Tydaso, *F;* Rync, *A.* [4]) ex Evia, *F.* [5]) Endridius Tornius (s. Torvius), *G;* Endridius Torvii filius, Ion Kutiza, *F.*

paulisper ibi morabatur; ubi cum cohortem suam constituisset, centuriones Birkibeinorum, Helgius Thorfinni filius, Ottar Knerra et Eyolvus Haflii[1] cum eo se conjunxerunt. Eirikus regis filius orientem versus in Vikam contendit, regem Sverrerem sequens, cui profectionem suam parum prosperam fuisse ostendit. Rex Magnus meridiem versus Bergas profectus est. Tum apud regem Magnum versabatur Hallus Snorrii filius poeta, qui tum hos versus composuit:

Iter munifici principis eximium
est; Olavsuda, rubro auro ornata,
strepentes piratæ campos secat,
divitias vehens. Onustus navis
alveus se inclinat, fluctus evadens
circumflectendo. Jam rex terribilis
huc advenit ex gloriosa expeditione,
honore clarus et munificentia[2].

Splendidus proræ caballus, quem
ducit imperator, Holmum prætervehitur;
rubra carina, animosum ferens regem,
ruit in streperum balænæ campum.
Inclytus princeps huc advenit,
honore auctus et victoria; rex
in prælium avidus, hastarum egit
conventum cum juvenibus[3].

---

1) *sic F;* Aflii, *A, G.*

2) Constructio: *för auðgrimms stillis er góð: Ólafssúð, búin rauðu gulli, rístr glymvöllu a) róða und auði b); svelldr húfr fellr í svig c) dúfu. Nú er ægr d) siklíngr kominn híngat or e) frægri för með sæmd ok mildi.*

a) glumvöllu, id., *G. b) eyði,* vastatorem, *B,* ut cohæreant *eyði auðgrimms,* deletorem (victorem) munifici (regis Sverreris). *c) svik,* id., *G* (k=g); *svif,* eod. sensu, *F. d) egr,* id., *F. e) né, G,* ut sequ. *for* sit verbum, i. e. *ne fór frægri* (i. e. för), ille gloriosiorem (quam hanc) expeditionem non suscepit.

3) Constructio: *fagrgota hlýrs berr fyrir Hólm, þar er harri*

De rebus inter speculatores et aulicos gestis.

64. Rex Magnus convivium Jolense Bergis sibi apparari fecit; aulicos suos in magno illo triclinio aulico, speculatores in triclinio Sunnevæ convivio excepit. Speculatores, ægre ferentes se cerevisiam tantum, aulicos mulsum potare, quinto[1] festi Jolensis vespere probe inebriati, armis raptim sumtis, ad regium triclinium accesserunt, fores excisuri. Qua re animum adversa, rex celeriter ad fores eucurrit, tumultum sedaturus. Bardus autem Skjoldus, servus ejus, in vestibulum præcurrens, confestim interfectus est. Quo facto rex in cubiculum rediit; aulici ostium occluserunt, speculatores vero fores effregerunt. Deinde ii, qui proximo die stationem egerant, quippe qui soli intus arma haberent, fores occuparunt, alii demtos e fornace lapides in vestibulum projecerunt. Quo animadverso oppidani et stipatores regis Magni ac præfectorum, armis induti, ad triclinium aulicum accesserunt, quorum adventu speculatores, compluribus vulneratis, fuga se abripuerunt. Sequenti mane rex speculatores, qui consilii principes fuerant, comprehendi, alios pedibus, alios manibus truncari jussit; pauci necati sunt.

De Eriko regis filio.

65. Cum Eirikus regis filius orientem versus ad regem Sverrerem venisset, una cum comitibus suis regem oravit, ut quam celerrime boream versus in Thrandheimum proficisceretur,

stýrir; rauð stál a) bruna á rymvöll b) reyðar und snjöllum gram. Frægr döglíngr er c) kominn híngat með fremd ok sigri; fólkbráðr konúngr háði darra þing við d) drengi.

a) *skip,* naves, *A.* b) *rumböll,* id., *G* (*b*=*v*); *rymfjöll,* str. montes, *B,* eod. sensu. c) *add. G.* d) *G*; *fyrir, A.*

[1]) octavo, G.

dicens, Thrandos hæc ad ipsum mandata dedisse, orantes, ut præfectus suus esset, sicut eis antea fuisset pollicitus; regem enim Magnum a Thrandheimo discedentem minatum esse, se commodiorem nactum occasionem iterum esse venturum, ut dolorum et insidiarum, quibus semet ipsum et patrem Erlingum dynastam circumvenissent, ultionem a Thrandis expeteret. Rex Sverrer nuntio, quod apportasset, se haud magnopere moveri ostendens, eos in consiliis capiundis parum se prudenter gessisse dixit, graviterque, sicut meruerant, increpavit. Eum rex finem dicendi fecit, ut, quod convivium Jolense magno labore et sumtu jam apparatum esset, iter prius inde se ingressurum negaret, quam festum Jolense transisset; quod et fecit.

De Ormo regis fratre, regisque Sverreris profectione.

66. Ormus regis frater orientem versus in Vikam magno cum exercitu pervenit; dein Tunsbergum profectus cum suis in navibus assidue excubavit; inde jam orientem versus trans sinum Foldensem navigarunt, jam septemtrionem versus in Agdas aut Vestfoldiam se converterunt; et utrique alterius milites, quotiescunque occasio se offerret, interceperunt. Sed neque Heklungi Osloam profecti sunt, neque rex, navibus destitutus, adversum eos ducere copias potuit. Rex Sverrer post festum candelarum Osloa profectus, iter boream versus in Thrandheimum ingressus est. Accidit, cum iter per Hadalandum facerent, ut per Randam conglaciatam equitantibus, glacie dirupta, septem viri, omnes eximii, interirent, Jon pincerna, Halvardus Leppus Sunnevæ filius, Ogmundus Halsteinis filius, frater Lodinis, neque hominibus, neque jumentis ab interitu liberatis.

Regis Magni in Thrandheimum profectio.

67. Festo Jolensi elapso, rex Magnus, itinere boream versus in Thrandheimum parato, ex oppido post festum candelarum discessit, aulicos et viros lectissimos secum habens, classiarios recensu inito nongentos et sexaginta. Rex iter properans, etsi non nusquam tempestatibus diutius in portubus detinerentur, necopinato sinum Thrandheimicum ingressus ad oppidum accessit die Veneris secundæ hebdomadis longi jejunii. Eam aggrediendi rationem instituerunt, ut aliquot naves ad arcem, alias ad Eyras appellerent, aliis in amnem incitatis in oppidum excurrerent, duabus ad Bakkium appulsis, escensione facta, Erlendi tumulum prætergressi, pontem versus magna festinatione contenderent.

De fuga Birkibeinorum et itineribus regis Sverreris.

68. Jam de Birkibeinis pauca dicemus, quorum complures in oppido et balineis versabantur, omnibus ad tantum tumultum imparatis. Bardus Guttormi filius primus de adventu hostium certior factus, extemplo cum omnibus suis transmisso ponte in superiora contendit. Ottar Knerra et Helgius Thorfinni filius, qui celocem ad pontes pro ædibus regiis habebant, eo decurrerunt. Eyolvus Aflii[1] filius Grjotum in balineum ambularat; qui cum se vestibus exuisset, audita voce pueri, Heklungos adesse, dicentis, vestibus in manus sumtis, per portam areæ juxta ædem Crucis adscendit, compluribus ex Heklungis per plateas oppidi exteriores succedentibus; dein per cœmeterium ædis Christi cucurrit, ubi cum obvia venisset cohors, quæ escenderat, in pontes descendit, celocemque, quæ eo loco stabat, unacum pluribus conscendit. Quo facto

[1]) Haflii, *B*, *F*.

alii gladios destrinxerunt, alii clypeos, et quod quisque ad manum habebat, vibrarunt, dein solverunt, amnemque celeriter trajecerunt. Cum vero ad terram a boreali[1] Skellungarhellæ[2] parte supra tumulum Erlendi adpellerent, navi immobili hærente, causæ ignari quidam se fatalibus compedibus præpeditos, mortique universos destinatos opinabantur. Vera autem causa erat, quod ancora, quam in navem retrahere obliti fuerant, a puppi religata, vadis prope litus brevioribus infixa cursum navis retinebat; qua re animum adversa, vinculis ferro diruptis celeriter ad littus ferebantur, et deinde in terram excurrebant. Ottar et Eyolvus iter una fecerunt, alta nive jacente. His Heklungi, qui ad Bakkium appulerant, excurrentes, ad compitum supra Erlendi tumulum occurrerunt, utrisque quantum sinebant vires contendentibus, tribus ex Heklungis ceteros cursu antevertentibus. Ottar et Eyolvus una iter faciebant, neque Heklungi eos invasere. Sic Birkibeini, semita præoccupata ad suos se receperunt, et quindecim una in valle quadam infra Bergum se continebant. Ottar hostium adventum se exspectare velle ostendit, Eyolvo dissvadente et monente, multitudinem ad hostes confluxuram, ipsis nullos homines succursuros. Itaque Birkibeini recesserunt, Kleppabuum petentes, inde Nida trajecta in Gaulardalum adscenderunt; tum copiæ ad eos congregari cœperunt, omnibus qui effugerant in unum convenientibus. Quo facto iter per Soknadalum fecerunt, silvaque Dalensi superata, montem petierunt. Delatis in Hardkinnam rex Sverrer ab oriente ex Vika profectus occurrit. Ubi rex suos convenit, illi ei sua itinera minus prospera fuisse, compluribus suis amissis, exposuerunt. Birki-

[1]) inferiori, *B, F.* [2]) Skellingahamaris, *B;* Skillingarhellæ, *F.*

beini, qui regem ab oriente secuti fuerant, iter illorum magnopere irridebant. Sequenti die cum in Updalum descenderent, omnes, qui regem ab oriente comitati erant, equis vehebantur, quorum nullus iis, qui a borea venerant, equos commodare voluit. Itaque Bardus Guttormi filius omnesque sui pedibus ibant; eum tum comitabatur Bjarnius Kalvi filius poeta, qui hos versus lusit:

Hic pessima obtinet consvetudo:
calonem quemque equo vehi video,
pedibus vero eunt præfecti; nos
longum iter metiendum habemus,
aulicis currendum est,
lixis equitantibus;
in ista rerum iniquitate
ego minime sollicitus sum.

Inde rex Sverrer in Orkadalum descendit; hic in prædio Grjotis dicto præfecti regis Magni versabantur, quorum alteri nomen erat Sigurdo, alteri Hakoni; hos utrosque Birkibeini in ædibus oppressos una cum omnibus militibus interfecerunt. Unus vir, nomine Ottar Gasius, per parietem tabulatum elapsus ex area effugit. Hunc Birkibeini quinque equis in cursum incitatis persecuti sunt, quorum unus ad fugientem proxime accessit longissimeque insequebatur, nimirum ipse rex Sverrer. Ottar autem in fruticeta quædam elapsus, cursum ad ostium Orknæ deflexit, quo flumine scapha superato, primo Steinem, inde in Gaulardalum contendit, iter quam maxime potuit accelerans.

De rege Magno et colonis.

69. Jam de rege Magno ejusque militibus referemus, qui per oppidum grassantes, magnum numerum Birkibeinorum (nulli enim veniæ locus erat) interfecerunt. Rex die dominica in oppido commorans, nuntium in Orkadalum misit, se

proxime insequenti die Mercurii eo venturum et conventum cum Orkadalensibus habiturum; alterum nuntium in Gaulardalum misit, ut Gauldalenses die Veneris in oppido adessent, quod rex ibi conventum agere statuerat. Rex Magnus cum omnibus copiis in Orkadalum profectus, in conventum prodiit, quo jam omnes coloni, qui adesse jussi erant, convenerant. Rex surrexit, verbaque fecit: profecto vobis, Thrandi, mentio de rebus, quæ in proximo conventu nos intercesserunt, e longinquo repetita videtur; jam enim tres hiemes exiere, quibus mihi nulla vectigalia pependistis. Nunc igitur volo, ut vestrum singuli impensas bellicas, quos instantibus duodecim mensibus debuistis, solvatis et dependatis, et præterea binas, quæ duobus superioribus annis solvendæ erant; quibus accedat stipendium in remigium et apparatum navalem omnesque labores militares, qui regi debentur; præterea mercedes prædiorum et mulctæ, quos antea hostibus nostris solvistis et pependistis, qua re meam Deique iram in vos concitastis. Inde rex oratione in eos invehi cœpit, tantaque eum invasit ira, ut dira verba effunderet, colonique aliquamdiu metuerent, ne ipsos impetu facto interficeret. Roius nominatus est vir, Kjarrastadensis; is regi paucis respondit, precatus, ut colonis pacem et inducias aliquantumque spatii ad solvendum daret. Rex edixit, ut stipendium intra dimidium mensem in oppidum conferrent; colonis solutione explicata pacem pollicitus; eo conventu regi impensæ bellicæ adjudicatæ sunt. Quibus rebus constitutis, præfecti ante nominati, Sigurdus et Hakon, se Grjotas contulerunt, rex vespere in oppidum reversus est.

Ottar Gasius regi Magno nuntium de adventu hostium affert.

70. Die Veneris, missa antemeridiana in oppido absoluta, nulli de colonis ad conventum adfuerunt. Interim aliquot homines cum lignorum fascibus Steinbjarga prætereuntes conspecti sunt. Rex Magnus in ædibus Eiriki Arnii filii hospitabatur. Eo ipso temporis momento Ottar Gasius, quem supra nominavimus, in oppidum venit, quo delatus ad ædes Eiriki contendit. Aliquot aulici in area versantes, cum hominem magno cursu tendentem viderent, interrogarunt, an de Birkibeinis aliquid rescivisset. Quibus ille: id vobis non indico; ubi rex vester? Respondent, in æde Christi, concilium habens. Quo audito homo ex area ad regem contendit. Paulo post rex Magnus cursu citatissimo aream ingressus, suos quam celerrime arma capere navesque conscendere jussit: jam Birkibeini adversus nos contendunt. Mox signo tuba dato sua quisque arma et vestes celeriter arripuit, naves extemplo conscenderunt et ad Holmum appulerunt. Die procedente, nec adfuere Birkibeini, nec Gauldalenses in concilium venerunt, quod mirum videbatur, si Birkibeini in propinquo non essent; quare omnes credere, hunc exploratorem falsa retulisse, at ille eadem constanter affirmabat, et in navi regia se continebat. Multi, qui se vestes aut arma aut argentum in oppido reliquisse dicebant, veniam revertendi a rege petierunt; alii potum sibi petendum causari, alii uxores in oppido habebant. Rex Magnus omnes monuit, ne in oppidum redirent, paucis veniam dedit, sed tamen nihilominus complures eo se contulerunt.

Res inter Birkibeinos et Heklungos gestæ.

71. Rex Sverrer et Birkibeini in jugo de-

litescentes omnia, quæ in oppido agebantur, animadvertebant. Die Saturni mane milites in oppidum invadere cupierunt; rex, donec plerique in balinea ambulassent, exspectari voluit. Sed militum sententia valuit; qui festinantius ad prædam rapti, nimis mane, magna ingruente pluvia, in oppidum irruerunt. Cum nemo animum prius adverteret, quam ingressi oppidum essent, magnum numerum nullo resistente interfecerunt. Hic cecidit Einar, gubernator regis Magni; alii scaphis effugientes Holmo adremigarunt; eodemque tempore complures scaphæ ab Holmo trajiciebant, oppidum accessuræ, cum Birkibeinos ad arcem versus contendentes animadvertebant. Rex Magnus, adventu Birkibeinorum cognito, cum suis extemplo discessit, sinuque enavigato meridiem versus Bergas pertendit. In ore vulgi versabatur, jam apparere, quam rex Magnus ac sui inviti procederent in aciem adversus regem Sverrerem ejusque milites, cum, fama simul de Birkibeinorum adventu accepta, sine prælio ex oppido aufugissent; et tamen rex Magnus nongentos sexaginta milites habuit, rex Sverrer non amplius quadringentis viginti; accessit, quod eo tempore arx lignea ac fossa, qua erat circumdata, tanta diligentia refecta erat, ut cum duplo minori numero defendi facilius, quam oppugnari posset. Eo tempore rex Magnus, cum solus quicquid erat navium in sua haberet potestate, universas copias totamque terram per partes meridianas ab ostio sinus Thrandheimici sibi stipendiariam et tributariam habebat, nisi quod Birkibeini in Mæriam australem cum celocibus irrumpebant. Utrique, principibus absentibus, tumultuose grassabantur. Birkibeini suas cohortes sæpissime in Vika ad orientem aut per Uplanda habebant; his enim locis prædandi fa-

cultas potissimum dabatur. Heklungi in Birkibeinos, itemque Birkibeini in Heklungos, crebras excursiones fecerunt, varia utrinque fortuna; de quibus rebus multa quidem dici possent, sed eas potissimum res referemus, quæ nobis maxime memorabiles videntur, quibusque ipsi reges interfuerunt. Proximo vere rex Sverrer palos defigendos curavit, ut omnia litora exteriora ad tabernas usque symposiacas et per transversas Eyras ad amnem, secundumque hunc usque ad pontes palis essent munita; ballista in Bratteyra collocata est, et castellum ad pontem excitatum.

Profectio regis Magni in Thrandheimum, et res inter reges ibi gestæ.

72. Insequenti æstate cum rex Magnus iter Bergis pararet, magnus ad eum copiarum numerus ex meridianis regni partibus confluebat; eum tum comitabantur plerique præfecti sui, ab omnibus rebus paratissimi. Dein boream versus in Thrandheimum proficiscuntur. Rex classem ad Holmum constituit, ibique aliquot noctes stetit; rex Sverrer se in oppido tenebat. Inde rex Magnus in Thrandheimum interiorem profectus, impensas bellicas exegit, quo facto ad oppidum rediit. Prima nocte ad Depilem intra Hladhamares stabat; sequenti autem mane, cum adeo densa caligo mari incubuisset, ut a puppi ad proram conspectus non pateret, tranquillo aere ad Holmum advectus est. Quorum remigio exaudito rex Sverrer, prospectu impedito, classem ad terram appulsuros ratus, totum exercitum in Eyras classico evocari jussit; rex autem Magnus ac sui ad Holmum pernoctabant. Mane sequenti, appulsis ad campos Ilæos navibus, eo loco cum maxima parte copiarum escenderunt, et propius ad arcis partem interiorem accesserunt. Birkibeini adversus eos ad arcem

excurrerunt, et utrique tela inter se aliquamdiu jaciebant. Rex Magnus ac sui Birkibeinos omni in oppidum commeatu et mari et terra intercludere statuebant; quo fine pontem in amni Nida incenderunt. Rex Sverrer ad arcem cum suis exiit, ibique tabernacula collocanda curavit; duo in oppido ædificia auferri eodemque deportata juxta arcem collocari jussit. Sic utrique aliquamdiu hoc loco se continebant. Milites regis Magni plerique in navibus pernoctabant, dispositis cohortibus, quæ ad arcem vigilias alternis agerent, magnam eo loco habentes hominum multitudinem. Hi noctu ingentes in campis ignes excitabant. Quorum splendorem Birkibeini animadvertentes, cum id temporis nox esset obscura, ut ab ignibus haud longe prospici posset, nocte quadam armis induti, egressi arce impetum in Heklungos fecerunt, qui animos non prius adverterunt, quam stridentes sagittæ eos undique circumvolare cœpissent; neque multo post saxa conjici cœpta. Dein Birkibeini ad gladios conversi, magnum numerum in tenebris nocturnis trucidarunt, omnibus, quibus effugiendi facultas data, in fugam se conjicientibus. Ubi vero ii, qui in navibus erant, tubarum sonitum clamoremque e campis exaudiverunt, litori adremigarunt, signisque erectis escenderunt, suis auxilium laturi; sed hi, prospectu tenebris impediti, animum non prius adverterunt, quam fugientes citato cursu in eos irruerent; quo factum est, ut complures caderent, qui cursu evadere potuissent, nisi a suis fuga prohibiti fuissent; mox punctis gæsis, cæsim gladiis a Birkibeinis petiti, nullo resistente cæduntur; unde factum, ut qui maxime ad egressum hortati essent, hi naves citatissima fuga peterent. Complures ceciderunt, quidam in mare se præcipitarunt, multi

naves assecuti sunt. Rex Sverrer cum suis per arcem in tabernacula se recepit, maxima præda armorum, vestimentorum, auri argentique potitus. Postero mane, ubi illuxit, Birkibeini corpora Heklungorum in campis confertim jacentia conspexerunt. Rex Magnus ac sui Holmum advecti, paucis post noctibus ex Thrandheimo discesserunt, et meridiem versus Bergas profecti sunt, magna clade accepta; hic rex proximam hiemem in oppido consumsit, rex Sverrer ac sui in emporio se continebant.

De rege Sverrere.

73. Eadem hieme rex Sverrer arcem in Steinbjargis condendam curavit, perfectisque ineunte longo jejunio regiis ædibus in arcem se contulit, ibique sequenti vere cum parte militum assidue se continebat, parte in oppido versante. Eadem hieme navem in Thrandheimo ædificandam curavit, ceteras quæ tunc temporis haberet Norvegia, magnitudine multum superantem; erat enim triginta trium interscalmiorum, solidaque materiæ firmitate præstans; quæ navis Mariosuda appellata. Nova hieme accidit, ut rex Sverrer die quodam et milites et oppidanos classico ad concilium convocari juberet. Hic rex orationem habuit, dicens: in tantis nos aliquamdiu difficultatibus utrique, et nostri oppidanique et coloni quoque hunc pagum inhabitantes, versati sumus, ut hanc regionem fames et inopia tandem invaserit, quod fieri necesse erat, cum tanta hominum multitudo in eodem sinu per duas hiemes alimentis sustentata fuerit, ex quo naves nostras amisimus, quarum jactura maxima nobis incommoda attulit; in hoc autem sinu copia navium, maritimis expeditionibus idonearum, quantum scio, non suppetit: nam si quam, Birkibeini, spem haberem, nobis hoc loco fore navium facultatem,

in quibus aliquantum præsidii esse judicarem; haud dubium est, quia nos et Heklungi adhuc classe inter nos per vices concursuri essemus. Si vero lentæ istius colluctationis nostros tædere incipiat, nullam aliam rationem in promtu esse video, quam ut iter in Uplanda, indeque orientem versus in Vermiam aut in Gothiam usque convertamus. Eum rex dicendi finem fecit, ut omnes suos huic se itineri accingere juberet. Post eadem hebdomade viginti equi ferreis soleis calceati, et quovis deinceps die hoc iter comparatum. Hæc res per mercatores, qui a septemtrione profecti sunt, Bergas perlata est. Eo tempore magna Bergis convenerat hominum frequentia, rex Magnus ejusque præfecti et omnes fere principes; ibidem omnes suas maximas naves habebant, boream versus contra regem Sverrerem profecturi; sed idcirco iter differebant, quod cognoverant, regem Sverrerem iter e Thrandheimo comparavisse; quamobrem præfecti regis Magni in præfecturas suas redierunt, istæque copiæ collectitiæ dilapsæ sunt. Rex autem Sverrer festum Jolense in emporio consumsit, quo elapso aliquot celoces instrui jussit, magnaque celeritate usus meridiem versus Bergas festinavit, regem Magnum necopinato oppressurus. Qui cum in Mæriam australem venisset, ventis adversis detenti, ibi aliquamdiu hæserunt. Cum vero rex Sverrer intelligeret, famam de adventu suo cursu exteriori per isthmum in oppidum præcucurrisse, boream versus in Thrandheimum reversus est, ibique hiemem ac ver insequens transegit.

De nuntio regis Magni ad Vidkunnum, et de cæde Thorgilsis, præfecti regis Sverreris.

74. Thorgils nominatus est vir, præfectus regis Sverreris, qui provinciam Halogiæ ad se-

ptemtriones proximam administrabat; idem commercia Finnica exercebat, atque hiberno tempore in montana profectus mercaturam cum Finnis faciebat et vectigalia exigebat. Tunc temporis in Bjarkeya habitavit Vidkunnus Erlingi filius, omnium, qui eo tempore in Halogia erant, de facie pulcerrimus; is tum duodecim annos erat natus, et jam nuper patrimonium acceperat. Huic rex Magnus nuntium misit, ut se conveniret, præfectique dignitatem, quæ ei jure natalium competeret, a se acciperet. Multorum quoque sermo fuit, huic ad Vidkunnum mandato plures accessisse res, inter ipsos arcanas (condictas). Vidkunnus duas habebat sorores in primis formosas, quæ amplissimæ conditiones uxoriæ existimabantur. Eodem tempore Ragnilda, soror Magni regis, innupta erat. Vidkunnus hac hieme in sinus profectus, res Birkibeinorum speculatus est. Eodem tempore Thorgils de montanis reversus erat, maximas pecunias lucratus. Hunc Vidkunnus in sinu Ægeo insidiatus cum duodecim hominibus interfecit, omnem pecuniam cepit et secum in Bjarkeyam deportavit.

Cædes Vidkunni.

75. Sequenti vere Vidkunnus iter a septemtrione paravit, navem ducens dictam Gulbringam, viginti transtrorum ingentisque magnitudinis et eximiam, ab archiepiscopo Eysteine olim possessam, viris et armis probe instructam; præter hanc navem habebat onerariam. Erat cum eo utraque soror et avunculus ejus, Jon Drumbius. Vidkunnus ac sui, nihil periculi suspicantes, audacter proficiscebantur, omnes clypeos suos ad proras puppesque applicatos, loricas in cistis sub constrato navis servatas habentes. Rex Sverrer, quid ageret Vidkunnus, certior factus,

Bardum Guttormi filium et Ivarem Selkium[1] cum septem celocibus adversus eum misit. Qui cum boream versus navigantes in Aunglium venissent, navem Vidkunni conspexerunt, quæ tunc a septemtrione per Ofotium ferebatur. Festo ascensionis Christi, primo mane, Birkibeini Steigarbergum remis advecti, eo loco exspectarunt. Vidkunnus ac sui animum non prius adverterunt, quam hostes supervenissent navesque pæne concurrerent; itaque vela raptim submiserunt, Birkibeini vero celoces ad utrumque latus navis applicuerunt et acrem impetum fecerunt. Vidkunniani, quo se defenderent non habebant, præter arma quibus cæsim uterentur, unde factum, ut strages in eos brevi inclinaret; cumque demissa scapha mulieres exportare vellent, pugna celeriter profligata ab hoc conatu dejecti sunt. Birkibeini victoria potiti; Vidkunnus cum suis fere omnibus cecidit. Illi Gulbringam cum omnibus rebus, quæ in ea erant, captam meridiem versus in Thrandheimum deduxerunt, regique Sverreri dederunt, qui res ab iis gestas magnopere laudavit.

De regis Sverreris Bergas profectione.

76. Æstate proxime insequenti rex Sverrer, concilio cum suis et oppidanis frequenter habito, varias consiliorum rationes proposuit, nulla re certa deliberata, eo tandem exitu, ut nemo scire sibi videretur, quid rex consilii capturus esset. Alias dicebatur iter orientem versus in Vikam aut in Gothiam esse faciendum, alias, celocibus conscensis cursum in Orcades aut Hebudes usque dirigendum. Rex Magnus famam de his rebus per speculatores accepit, tum Bergis se continens, quo ad eum immensa copiarum naviumque vis denuo confluebat. Id rex Sverrer

[1]) Silkium, *F.*

consilii cepit, ut celoces conscenderet, viginti naves, omnesque parvas, habens; exercitui palam fecit, se boream versus in Halogiam proficisci statuisse. Cum vero ostio sinus Thrandheimici egressus ad Agdanesum pervenisset, vento borea sævius spirante, exercitu e navibus classico evocato, concilium habuit, et sic locutus est: quæ de hoc itinere simulavi, nos boream versus in Halogiam profecturos, aut orientem versus in Gothiam equitaturos esse, ea neutiquam serio dixi; nobis enim perquam molestum est, nullis bonis propositis difficilem subire remigationem: nam istis locis ab Heklungis ad incita redigemur. Nunc autem intelligo jucundius visum iri, celocibus vento secundante per freta secundum litora in cursum immissis, Stadum prætervehi: nam, ut vulgo ajunt, rem tenet qui audet (audentes fortuna juvat); etenim quocunque nobis tempore visum fuerit, cursum in altum dirigendi et per exteriora orientem versus in Vikam navigandi facultas erit. Quo consilio ab omnibus probato, cursum meridiem versus usque ad Stadum contendebant. Quo cum venissent, rex navibus junctis colloquium cum suis habuit, et sic verba fecit: quandoquidem profectio nostra hactenus admodum bene successit, optimum esse arbitror, velis in altum datis, cursum orientem versus in Vikam flectere: nam incolumi curru domum repetere conducit. Etiam nobis potestas est Bergas irrumpendi, si qua spes lucri proponatur; quod cum minorem rationem, quamvis aliquem apud vos stimulum, habere censeam, ad id non magnopere hortari volo. Omnes Birkibeini oppidum invadendum censuerunt, sibi gratulantes, si quos ex Heklungis capiendi occasio se daret. Dein rex, aliquot celocibus in Ulva-

sundum missis, ipse per exteriora ad Aleyarsundum navigavit. Birkibeini duas celoces speculatorias Heklungorum in Ulvasundo ceperunt, maximam propugnatorum partem interfecerunt, nonnullos vita donarunt, qui de rebus hostium interrogati, dixerunt, tres celoces in Aleyarsundo explorandi gratia stare, unam speculam ad meridiem in Haeya esse, alteram in Fenringo, unde prospectum et ad ignes e boreali specula editos et ad oppidum esse. Dixerunt quoque, universos milites in oppido quiescere, indicantes, quibus ædibus procerum quisque dormiret, neminem periculi quidquam timere, omnes naves tentoriis velatas ad pontes stare. Has cognitas res ad regem Sverrerem detulerunt. Cum a septemtrionibus per freta navigarent, rex duas celoces, quas ab Heklungis ceperant, præmisit. Quæ, clypeis, qui ab Heklungis, quorum antea fuissent, agnosci possent, ad proras puppesque alligatis, cursu meridiem versus directo, cum sinum a meridiana Driveyarum parte ingrederentur, ab Heklungis conspiciebantur, qui celocibus et clypeis celeriter cognitis, suos commilitones esse rati, nil sibi timebant, neque prius hostem adesse animadverterunt, quam celoces fretum ingressæ in ipsos irruerent. Birkibeini extemplo sagittis et hastis conjectis Heklungos in terram excurrere coegerunt, nonnullis interfectis; ita celocibus cum omnibus rebus potiti, regis adventum exspectabant. His rebus gestis rex Sverrer ac sui iter meridiem versus instituerunt; cumque meridiem versus in freta contenderent, rex, celocibus quæ Heklungis fuerant præmissis, ignes in Haeya præoccupari jussit. Birkibeini autem occasioni avidius inhiantes, cum celerius quam rex voluerat meridiem versus remigarent, a speculatore animadversi sunt, qui ignem spe-

culæ injecit (ignem e specula extulit); quod tamen signum a speculatore, qui propius ad meridiem erat, animadverti non potuit, nam Birkibeini necopinato supervenientes, comprehenso speculatore, speculam diruerunt. Rex cum suis meridiem versus secundum ipsam terram remis provectus est, ibi enim montium umbra mari ingruebat. Sed priusquam Holdhellæ adremigaretur, rex cum suis hunc in modum collocutus est: cum nulla adhuc interveniens res nostram rationem disturbarit, facile poterimus cursum meridiem versus præter oppidum tenere, hostesque effugere circumnavigando. Omnibus autem se ad incursionem in oppidum promtiores esse ostendentibus, rex se dehortari eos nolle dixit, vero enim esse similius, Heklungos, si somno turbati excitarentur, regi suo exiguam operam navaturos: nam cum haud dubie vino gravati somno se dederint, magnum noster adventus terrorem eis injiciet. Eam nos oppugnandi rationem instituemus, ut Eirikus frater meus cum decem maximis celocibus rupi adremiget, ibique escensione facta signum suum extra cœmeterium ædis Christi ad ædes regias versus ferri jubeat; ego vero Holmum prætervectus intra pontes penetrabo, navesque occupare conabor. Navibus confestim egrediemur, alii intra Sandbruam, alii præter Miklagardum in cœmeterium ædis Mariæ transcendent, alii introrsum præter cœmeterium ædis Petri in plateas oppidi adscendant. Ulvus Lauvnesensis in intimum sinum cum duabus celocibus remigato, ibique cum signo escendito; dein per interiora oppidi penetrato, eoque confugientes excipito; quibus locis quam creberrimum tubarum fremitum concitatote.

Fuga regis Magni et victoria Birkibeinorum.

77. Posthæc rex Sverrer impetum ex præscripto fieri jussit; illi remos impulerunt, vehementissimoque remigio naves intra pontes, ubi naves longæ stabant, propulerunt; retinaculis ferro diruptis, naves a pontibus detruserunt, quæ omni custodia destitutæ in sinum ferebantur. Birkibeini excurrunt in pontes; vexillum regium tollitur; clamor bellicus editur. Quo facto in oppidum irrumpentes, ad ædes, in quibus Heklungos versari cognoverant, contenderunt; hic complures ex Heklungis ceciderunt. Cum rex Sverrer ad Mariæ pervenisset, ibi incidit in Jonem Halkelis filium, cui deprecanti rex ipsi ac duobus filiis, Rognvaldo et Halkeli, vitam concessit; inde se per plateas exteriores convertit. Pars militum per pontes irrumpentes, omnes naves, tam mercatorias quam longas, a pontibus diruperunt, ut totus sinus plenus navibus esset. Ulvus ac sui, ex interiori oppido per plateas contendentes, complures nullo resistente interfecerunt. Ubi vero Eirikus cum suis ad insulam appulerat, audito ingenti ex oppido clamore, Heklungos, hostium adventu animadverso, in repellendis occupatos rati, etsi persvasum habebant, si rex Magnus paratus esset, tantum in oppido exercitum habiturum, ut ei nullo modo pares prœlio esse possent, tamen nihilo minus audacter e navibus excurrerunt, clamorem sustulerunt, et extra cœmeterium ædis Christi decurrerunt. Rex Magnus in palatio quiescebat, omnesque aulici et regia cohors; is, in porticu forte constitutus, cum primum clamorem in oppido sublatum audivisset, per porticum procurrens, ad ædem Apostolorum confugit; ubi cum secundum e cœmeterio ædis Christi clamorem audisset, e porticu in cœmeterium desiliit, qui saltus mirandæ

fuit altitudinis. Rex sursum præter ædes episcopales contendit, inde supra paludem et Coprum, inde per interiora supra Nicolai, ubi aliquot suorum ad eum convenerunt; inde per superiora pergentes introrsum ad Olavi contenderunt, militibus ad eum confluentibus. Birkibeini, quod quam celerrime in ædes regias properare voluerant, oppidum nondum explorarant. Cum vexillum regis Sverreris ab interiori oppido in ædes regias inferebatur, alterum signum ab exteriori oppido per aream obvium ferebatur, utrisque tela in vicem jacientibus, jamque prope erat, ut inter se confligerent, cum agnoverunt, adesse Eirikum regis filium. Tum universi ad palatium descenderunt, idque vehementer oppugnarunt. Magniani se armis et saxis fornacalibus defendebant; hic diu pugnatum, multis et fortibus viris cadentibus. Ubi vero regem ibi non versari cognoverunt, rex Sverrer plerisque petentibus pacem concessit. Eystein archiepiscopus navem suam ad pontes Jonicos tenuit; hujus satellites cum armis excurrentes in campos Jonicos contenderunt, regi Magno opem laturi: sed occurrentes Birkibeini triginta ex eis interfecerunt, reliquos omnes repulerunt, compluribus qui elapsi sunt vulneratis; hic cognati archiepiscopi, Olavus Longus et Gudbrandus Thorbergi filius, ceciderunt. In palatio interfecti sunt Halvardus Mararrdrap[1] et Paulus Eiriki filius Updalensis. Cum rex Magnus ac sui in superiori regione extra cœnobium monialium convenissent, rex magno militum suorum numero occurrit; quos cum interrogaret, an in oppidum reverti et prælio contendere vellent, audire enim, Birkibeinos exiguam manum habere: complures responderunt, imprudentium esse, sine armis in prælium de-

[1]) Marardrav, *B*; Merardrap, *F*.

scendere; perpauci enim erant, qui plena essent armatura instructi, complures inermes erant, parumque vestiti, quod subito e lectis surrexerant; rex quoque nec vexillum, nec tubam habebat. Quibus omnibus rebus cum se ad pugnandum minus idoneos sentirent, meridiem versus in Strindam[1] se converterunt, indeque in Hardangrum, ubi navigationi se commissuri aliquot celoces et navigia compararunt. Complures postea cursum meridiem versus secundum litora direxerunt et iter interdiu noctuque continuarunt, regem subsequentes. Pars autem, quæ serius ex oppido discesserat, iter Alrekstados versus convertit; hi boream versus trajecto monte in sinum Ostrensem devenerunt, inde in Vorsiam profecti, per superiora Sognio præterito in Valdresum, indeque per mediterranea orientem versus in Vikam pertenderunt.

Rex Sverrer gratiam cum Eysteine archiepiscopo reconciliat.

78. Rex Sverrer totam classem regis Magni Bergis cepit; ibidem omnibus ejus rebus pretiosissimis potitus est, in his corona sceptroque aureo, quo inauguratus fuerat, ac toto ornatu inaugurali; hic milites ejus magnam prædam nacti sunt. Ejusdem æstatis principio Eystein archiepiscopus, qui tres hiemes in Anglia, diœcesi sua relicta, consumserat, ab occidente ex Anglia redux, gratia cum rege Sverrere reconciliata, eadem æstate septemtrionem versus in diœcesim suam profectus est. Cum vero Jon Halkelis filius ejusque filii in congressum regis Sverreris venissent, his in quascunque partes vellent tuto proficiscendi veniam dedit, sive boream versus ad prædia sua, sive orientem versus regem Magnum sequi cuperent. Orantibus,

[1]) sinum Strindensem, *G.*

ut a rege Sverrere reciperentur, recusavit: bis enim, inquiens, jusjurandi fidem a vobis datam violavistis. Nihilo tamen secius regi Sverreri jusjurandum tertia vice dixerunt, et iidem paulo post discesserunt, et orientem versus ad regem Magnum se contulerunt. Rex autem Sverrer de itineribus regis Magni certior factus, maxima usus celeritate, eum orientem versus in Agdas usque insecutus est, cum eo hac vice non congressus, sed Bergas reversus ibi paulisper commorabatur. Rex Magnus eadem æstate meridiem versus in Daniam ad regem Valdamarem profectus est, secunda vice a rege Sverrere pulsus regno excedens.

Cædes præfectorum regis Sverreris.

79. Rex Sverrer præfectos suos per totam Rogalandiam et Hordiam constituit. Ivarem Dapium[1] Sognio præfecit. Insequenti autumno cum omnibus copiis suis boream versus in Thrandheimum profectus, hiemem ibi transegit. Rege Sverrere boream versus profecto, præfecti Sognensibus parum placere cœperunt. Paulo ante festum Jolense præfecti pecunias in sumtum convivii Jolensis, quod in emporio Lusensi celebrare constituerant, imperarunt. Hac re emporii incolæ in tantum furorem versi sunt, ut cum Soknadalensibus et Eidbyggis, qui se congregarant et in emporium vespere festum Jolense antecedente convenerant, consociati, impetum in præfectos regios facerent. Hujus flagitii præcipui principes erant Arnthor de Hvolio et Isakus Thorgilsis filius, filiique Arngeiris sacerdotis, Gautus et Karlshofud. Ivar Dapius pacem petiit, se cum omnibus suis discessurum pollicitus. Qua conditione repudiata coloni impetu facto præfectos cum plerisque stipatoribus interfecerunt.

[1]) Davium, *B.*

Quibus fortuna pepercit, fugæ salutem debuerunt, et septemtrionem versus per mediterranea ad regem Sverrerem profecti, quæ gesta erant narrarunt, addentes, Sognenses æstimare, fures et maleficos a se interemtos, eosque impune occidendos pronuntiare.

Mariosuda ædificata.

80. Eadem æstate, qua rex Sverrer naves Bergis ceperat, Mariosuda omnibus rebus erat instructa ac perfecta, eamque rex Sverrer proxime insequenti autumno, cum boream versus pervenisset, deduci jussit. Navis supra oppidum fuerat ædificata, atque erat sermo hominum, eam, nisi dirutis hominum ædificiis, deduci non posse; dicebantque, regem in navi ædificanda magnam ostendisse impotentiam ac ferociam; nec pauci erant, qui navi male ominarentur. Sed, cum deducebatur navis, res ipsa declaravit, regem ita providisse et instituisse, ut ea salvis ædibus domuumque areis, deduci posset. Navi autem ex navalibus in amnem decurrente, tabularum coassationes aliquot locis fatiscebant. Namque præcedenti hieme acciderat, ut, rege Sverrere meridiem versus in Mæriam profecto, navis interea in emporio cœpta esset ædificari, rexque domum redux utrumque navis latus in novem tabularum ordines accrevisse inveniret. Hic rex, opere inspecto: hæc navis, inquit, modulo multo quam optassem minori instituta est; quare ferro est dissecanda, ponendaque carina duodecim ulnas longa. Quod cum auctoritate regis, quamvis contra dicente architecto, factum esset, id vitii habuit navis, quod infima circa carinam pars valde coassata esset; quæ coassationes, cum navis deducebatur, fatiscebant. Rex Sverrer, qui in navi, cum deducta in aquas erat, se continebat, ita locutus est: laus Deo sanctæque

virgini Mariæ, regique Olavo sancto, quod hæc navis incolumis in aquas demissa est sine ullius injuria, quam multi falso sibi fingentes inimica in nos verba jactarunt; quod Deus eis ignoscat! Haud equidem arbitror, multos hoc loco homines adesse, qui antea navem longam tantæ magnitudinis aquis commissam viderint; quæ navis, si aliquantum accesserit felicitatis, magno adversus hostes regni præsidio esse poterit. Hanc itaque navem in fidem sanctæ Mariæ committere, nomenque Mariosudæ imponere volo; atque precor, ut sancta virgo Maria hujus navis præsidium et tutela esse velit; in cujus rei argumentum res pretiosas, divino cultui magis convenientes, Mariæ do dedicoque, nimirum vestes sacras, dignas quibus archiepiscopus festis solennibus ornetur; et vicissim confido, eam hæc munera respicere, suamque opem et fortunam et navi et ejus possessori, omnibusque qui ea vehentur, præstare non dedignaturam. Rex sanctas reliquias aplustribus tam ad proram quam ad puppim includendas curavit; vestes sacras ita distribuit, ut humerale ad ædem Mariæ, cappam cantorum ad (monasterium) Helgisetrum, ceteras omnes ad cœnobium monialium Bakkense mitteret. Mariosuda, ut cujus prora et puppis medio corpore essent tenuiores, haud pulcram speciem præbuit, quod partes interstructæ in primis efficiebant; qua vero vitium fecerat navis, rex reficiendam curavit. Rex Sverrer eadem hieme aliquot naves longas ædificandas, alias reficiendas, omnesque quam optime instruendas curavit. Tunc ædificata est Hjalpa, viginti et sex[1] interscalmiorum, quam duxit Thorolvus Rympil, item Vidsia, quam duxit Ulvus Lauvnesensis, totidem ferme interscalmiorum.

[1]) septem, *B.*

Regis Sverreris ex emporio navigatio.

81. Sequenti vere post festum paschale rex Sverrer iter a septemtrionibus ex emporio paravit, viginti ac tres naves, plerasque ingentes, habens. Eum tum comitabantur frater ejus Eirikus, Ulvus Lauvnesensis, Ulvus Flyus[1], Bardus Guttormi filius, Ivar Selkius[2] et Havardus dynastæ filius, qui magnas et ornatas copias habebant. Rex Mariosudam ducebat, cujus propugnatores, recensu facto, trecentos et viginti efficiebant. Rex tres cistas navi imponendas curavit, quarum singulæ a quaternis viris portatæ sunt, neque vulgo satis sciebatur, quid iis inesset. Eirikus regis filius Oskmeyam, ad viginti quinque interscalmiorum, habebat. Rex Sverrer classem meridiem versus secundum litora direxit. Cum in Steinavogo starent, concione militum advocata, sic locutus est: nullum se de rege Magno nuntium accepisse, qui repentinæ aggressionis metum afferre posset; monuit, ut mansveto et quieto animo essent, diligenter, quæ gererentur, perquirerent, sermonem cujusque hominis, sive amplioris sive humilioris conditionis, attenderent, omnia nova, quamvis ipsis minoris momenti visa, ad se referrent. Rex brevem, sed gravem orationem habuit. Item in Hereyis, cum ad ancoras starent, concione advocata, omnia eadem ac antea repetiit. Inde meridiem versus Stadum prænavigavit, vento sæviore, undisque ad proram vehementer furentibus, unde factum, ut Mariosuda, maris injuriæ impatientior, infirmo corpore fluctuaret. Itaque rex cursum introrsum in Ulvasunda flexit; quo loco cum in ancoris staret, quid magnis illis cistis inesset animadversum est, ex iis enim clavi navales sunt depromti, navibusque impacti.

---

1) Fleyus, *F.* 2) Silkius, *F.*

Etiam rex in singula seminterscalmia clavos dedit, eosque, qui ibi constituti erant, servare, atque, cum usus esset, adhibere jussit. Inde rex cursum meridiem versus usque ad mare Sognicum continuavit; quo cum venisset, copiis palam fecit, se cursum in sinum Sognicum convertere velle, ut multam pro cæde virorum a Sognensibus interfectorum exigeret. Dein hi, qui negotia Bergis peragenda habebant, eo trajiciendi veniam petierunt; quibus omnibus rex, qui non putaret hostes tam repente superventuros, aut tam celeri auxilio opus fore, meridiem versus proficiscendi veniam concessit. Itaque tres naves, quibus copiis præerat Petrus Porcius, meridiem versus proficiscebantur, militesque per naves distributi, his, quibus peragenda negotia erant, meridiem versus proficiscentibus, aliis vicissim in eorum locum succedentibus.

Rex Sverrer tractum Sognicum inflammat.

82. Rex Sverrer cursu cum classe viginti navium in sinum Sognicum deflexo, primum naves ad Ruslas[1] constituit, nuntium in Soknadalum misit, ut coloni se convenirent, si secum in gratiam redire vellent, iisque conventum in Hvamseya[2] indixit. Eo rex profectus est; convenere coloni, regique solutionem multarum stipulati sunt; rex iis multam viginti quinque auri selibrarum irrogavit, constituens, ut trium noctium spatio pecunias ad se comportarent. Coloni domos profecti, exitum itineris sui, ut erat, narrarunt, remque moleste ferentes, universi consilia inter se contulerunt; convenit inter eos, ut spatii, quod dedisset rex, beneficio uterentur, idque ceperunt consilii, ut fortunas suas in montes ac silvas deportarent, totumque tractum vacuum relinquerent. Cum vero rex intellexisset,

---

[1]) Ryslas, *G.* [2]) *G, F;* Hvarvseya, *A.*

colonos condictum rupturos, tempusque præstitutum jam exiisse, classe soluta, vela per interiora sinus dedit, cumque ad divortium sinuum venisset, Ulvum Lauvnesensem et Thorolvum Rympilem cum sex navibus ad emporium Lusense misit, eosque ejus loci hypocausta calfacere, quamque libuisset laboris mercedem capere jussit. De quorum itinere hoc referre habemus, quod in emporium Lusense profecti, omnibus quæ capere potuerunt direptis, emporium incendio deleverunt, nullos homines capere potuerunt. Rex Sverrer vespere diei Mercurii[1] cum quatuordecim navibus sinum Noricum intravit et naves ad Soknadalum constituit; die autem Jovis[2] mane, militibus classico ad colloquium convocatis, consilium suum aperit, exercitum armari et in vallem egredi jussit, ita ut ex quovis contubernio duæ partes escenderent, tertia ad naves custodiendas remaneret, præcipiens ut singulæ naves numerum pro portione mitterent, hæc admonens: qui escendunt, iter, qua prope silvas aut qua latebræ sunt eundum, caute faciant, ne quid damni telis hostium accipiatis; nullos homines, nisi qui occasionem vestrum invadendorum captarint, interficite; bona quocunque loco facultas fuerit, diripite. Si qui coloni nostrum congressum vitabunt, nec in gratiam nobiscum redire volent, ita hinc discedemus, ut, quo loco nunc sunt eorum villæ, eo loco facultatem ignium calfactoriorum aut carbonum habituri sint; ne unicam quidem casam relinquite, solummodo ædibus sacris, si fieri possit, abstinete. Jam militum more grassaminor, quandoquidem vobis permissum atque imperatum est; nam multi tum licentius se gerere solent, cum vetui, vitæque et membrorum pœnam comminatus

[1]) Jovis, *B.* [2]) Veneris, *B.*

sum. Posthæc signum erigi jussit, copiasque in viam duxit, omni turba magno fervore subsequente. Hic rex circumspiciens, paucos ad naves custodiendas relictos esse animadvertit; quare exclamans, ne totus exercitus in terram egrederetur, nev naves vacuas relinquerent, vetuit: nev hostibus nostris occasionem date navium, quas cum vitæ periculo magnoque labore cepimus, intercipiendarum. Tantus autem erat fervor multitudinis, ut modo pauci, quæ rex diceret, se audire simularent. Itaque ipse rex ad naves se convertit, easque in ancoras evehi jussit. Birkibeini egressi nullum hominem, nullam pecudem animadverterunt; omnes quas adirent domus, vacuæ relictæ. Die Jovis sequentique nocte sursum per vallem iter facientes, unum hominem invenerunt, qui eos certiores fecit, omnes homines cum omnibus pecudibus in montes ac silvas aufugisse. Die Veneris, oriente sole, iter ex vallibus converterunt, quorum quidam, cum ad villam, quæ in suprema valle sita erat, venissent, ædes igni subjecto incenderunt. Quod cum ii, qui per inferiora vallis iter faciebant, conspexissent, idem fecerunt, alio deinceps post alium ignem domui, quo quisque loco versaretur, subjiciente. Vento leniter spirante tanta vis fumi exstitit, ut cum totus tractus uno pæne tempore inflammari cœpisset, unus fumus ad alterum per totam vallem pertineret; atque ita Birkibeini per vallem descenderunt, et extremo ædes in prædio Stedia incenderunt. Hoc loco diu commorabantur, quod periculum erat, ne templum flamma corriperetur, quod prohibuerunt admotis velis aqua madefactis. Dejectis ædibus, omnes milites ad naves rediere. Eo loco centum domus incendio deletæ, pagus ubique amœnissimus. His confectis

rebus, rex celeriter naves ad Haugastrandam transportari, locoque, qui Fimreitus[1] dicitur, constitui jussit.

Regis Magni Kongelam ex Dania profectio.

83. Jam de rege Magno dicemus, qui, hieme in Dania transacta, sequenti vere a meridie in Vikam profectus est. Asbjorn Jonis filius, unus de exercitu Magni regis, cum quarta feria festi paschalis Kongelam venisset, concilio convocato, verba fecit dicens: regem Magnum magno cum exercitu in oppidum esse venturum; ostendit, necessitatem postulare, ut bene excipiatur; cupere eum omnium incolarum, qui ei honorem aut aliquam reverentiam præstare velint, gratiam sibi conciliare; regem Danorum magnis eum copiis juvisse, majoresque pollicitum; regem principum per totam orientalem regni partem benevolentia, qua regnum suum confirmari possit, confidere, magna vicissim beneficia suamque fidem polliceri. Disertam orationem habuit, secunda oppidanorum et colonorum acclamatione acceptam. Die dominica post hebdomadem paschalem proxima rex Magnus classe viginti trium[2] navium ad oppidum venit, oppidanis obviam ei solenni pompa procedentibus eumque magna hilaritate excipientibus. Rex oppidum ingressus, in ædibus mulieris cujusdam nomine Ragnildæ potavit, ibique aliquamdiu commoratus est. Eum tum comitabantur complures præfecti, Ormus regis frater, Munan Ganti filius, Halkel Jonis, et Asbjorn Jonis; præter hos cum eo versabatur Haraldus, filius regis Ingii, multique alii proceres. Rex sæpius concilio convocato ad suos concionatus est; erat ore diserto et magna fandi libertate, sed breviloquens. Regis oratio ab omnibus libenti animo excepta est. Tribus he-

[1]) Fossreikus, *B.* [2]) quatuor, *G*; quinque, *F.*

bdomadibus in oppido consumtis, Tunsbergum se contulit. Kongela profectus duas naves, quarum altera Keipa, altera Vallabuza appellabatur, duxit.

Oratio regis Magni ad Tunsbergenses.

84. Rex Magnus Tunsbergi bene exceptus est; hic cum magna ad eum hominum multitudo ex mediterraneis descendisset, concilio convocato, orationem orsus hunc in modum verba fecit: vobis haud dubie notum est, inquit, quantos in imperio labores ac difficultates pertulerimus; nunc a vobis aliquantum auxilii peto, ut regnum retinere possim, etiamnunc oro, ut mihi ex his locis copias detis, vobis vicissim pollicens, fore ut postea hoc oneris vobis imponi necesse non sit; nam haudquaquam mirum est, si jam classicum remigium, sæpius magnopere damnosum, tædium hominibus attulerit. Sed quoniam ego unctus inauguratusque fui hujus regni rex, Deum veritus, jusjurandum, quo sum obstrictus, nullo modo violare audeo; quare certum mihi est, hoc regnum acie et mucrone repetere, quoad vita suppetet, meaque castra coloni sequi volent; quanquam video rationem, mihi quidem et faciliorem et minori periculo conjunctam, ut provinciam a rege Valdamare propinquo meo administrandam accipiam. Regis oratio magna omnium acclamatione accepta est, dicentium, ei se operam navaturos castraque ejus secuturos; præstare, cum eo, justo rege, cadere, quam sacerdoti parere, qui natalium habita ratione nullum jus regni habeat. Tunsbergiani ei navem longam oppidanis bene instructam dederunt. Rex dimidio mense ibi consumto, boream versus profectus est, ventis minus obsequentibus usus.

De Manio Islando.

85. Rex Magnus ac sui unam hebdomadem ad Unnardysam in Listio detinebantur; tunc

Manius poeta, qui tum apud regem Magnum versabatur, sequentes versus composuit:

Rex benigne gravis sedis solaris!
oramus te, ut ventos secundos
hominum multitudini, profecturæ
Bergas, propediem largiaris.
Inique ferimus, quod ventus caurus
classiarios retinet diutius
ad Unnardysam. Flatus meridianus
spirare per fretum cunctatur[1].

Rex: bene, Tungli[2], carmen conditum est, inquit. Eo loco magnus erat acervus ablutorum indusiorum, quorum unum rex ei dari jussit. Manius vero Roma reversus, et ad mendicitatem redactus, ad regem prope extremos regni orientalis limites versantem venerat, cubiculumque, in quo rex cum cohorte sua versabatur, ingressus, etsi tum omnium rerum inops, capite raso, et macer fereque nudus esset, tamen regem cum dignitate quadam salutavit. Quærenti regi, quis esset, se Manium vocari, Islandumque esse, et Roma advenisse dixit. Rex: haud dubie homines oblectare potes, Tungli, age conside, et carmen aliquod recita. Tum ille carmen de peregrinatione Sigurdi Hierosolymipetæ, avi materni regis Magni, quod Haldor Skvaldrius composuerat[3], recitavit, quod carmen ab omnibus approbatum et ad delectandos homines apprime idoneum judi-

---

1) Constructio: *Hinn örvi konúngr þúngstóls a) sólar! vèr biðjum þess, gefðu brátt byr mörgum þjóðum til Björgynjar. Þat ángrar oss, at útnyrðíngr heldr fyrðum lengi í Unnardýs. Sunnrænn vindr er til seinn at sundi b).*

a) *þangstóls*, A, vix recte. b) *suði*, *A*, mendose.

2) Tunglius per homonymiam idem est ac Manius, nam *máni* et *túngl* synonyma sunt.

3) Fragmenta hujus carminis occurrunt in Vol. 7., hist. Sigurdi Hierosolymipetæ cap. 4. 5. 6. 7.

catum est. Aderant intra cubiculum duo ludiones, qui ad viros nobiles delectandos caniculas adsvefecerant, ut supra altas perticas salirent, et quidem eo altius, quo nobiliores viri oblectandi essent. Hic rex: intelligisne, Tungli, ludiones iniquis oculis te adspicere? in hos igitur carmen compone, quod tibi nonnulli usui facile esse poterit. Tum Manius:

Huc intrarunt triscurria; callidus
longurio panduram tibiamque
tractat; is, qui arma tractare
debuerat, ridiculos agit gestus.
Homo facit rufam caniculam
salire super baculum, oblectandi gratia;
Ne quis vanitati operam det; nugæ sunt,
ei rei aures ne præbeant homines[1].

Idem porro:

Pandura sonat, tibiam
arripiunt homines,
magnasque agitant ineptias,
ubi pallidi ludiones ambulant.
Mirum est, quam oculos
distorqueat, qui tubulo
personat. Video homuncioni
ora intensa sufflatasque buccas[2].

---

[1]) Constructio: *ginn er komit hèr inni: slægr gaurr ferr með gígju ok pípu, meiðr skjaldar skóða hefir skrípalát. Rekkr lætr rauða bikkju hlaupa yfir staf fyrir aldir; reki-t a) skvaldr! þat er skaup, þjóðir skolu-t lýða b) því.*

a) *reki-t*, ne augeant (homines) strepitum, *A.* b) *lýði*, A, mendose.

[2]) Constructio: *Gígjan sýngr, menn grípa til pípu, færa fram stóra fólsku, þar er bleikir leikarar gánga. Undr er hve sá vendir umb a) augum, er þýtr í trumbu; ek lít kníðan kjapt ok blásna hvapta á kauða.*

a) *um*, A.

Hic magnus adstantium risus coortus est, atque aulici, histriones circumstantes, versus cecinerunt, et hunc quidem sæpissime: ora intensa sufflatasque buccas. Ludiones, quasi in igni versari sibi visi, e conclavi effugerunt; rex autem Manium ad se recepit, eumque in comitatu suo Bergas duxit.

Regis Magni Bergas profectio, ibidemque cædes Birkibeinorum.

86. Rex Magnus ac sui boream versus proficiscentes duas aut tres noctes in eodem portu constiterunt. Rex Magnus lectissimos ex omnibus copiis viros circa se habuit. Hic nunc hilares ac læti erant, ludosque, quibus locis morarentur, multum exercebant. Rex sæpissime animo erat parum hilari. In Karmsundo duas noctes in ancoris stabant; ibi de itineribus regis Sverreris certum nuntium acceperunt: naves enim onerariæ Bergis profectæ eos quotidie prænavigabant. Post hæc rex Eilivum [Orrium[1], filium Clementis de Grandio[2], Bergas speculatum misit; hic tertia hebdomadis nocte profectus, ad regem die Mercurii reversus est, et retulit, Birkibeinos cum tribus navibus præfecto Petro Porcio in oppido versari. Rex Magnus suos, tentoriis quam celerrime detensis, iter ingredi jussit, dicens, Birkibeinos Bergis versari: quos symposiis ambulatoriis excipi a vobis velle credo, putantes, sibi nunc a vobis pocula esse infundenda. Quo audito milites, magna lætitia affecti, ut quisque potuit ad naves contenderunt, velisque sublatis remigium addiderunt; cœli status erat pluvius, vento leniore, sed obliquo. Rex Magnus Skeggium ducebat, Ormus regis frater Skjaldmeyam, Nicolaus Kuvungus Erkisu-

---

1) *add.* B, F; Ærium, G. 2) *a signo:* Arnii filium et Clementem Gravdalensem, B.

dam, ei ab archiepiscopo dono datam, viginti transtrorum; Munan Gauti filius Reinem, speculatores Fleyum magnum, navigationibus maris baltici destinatum. In navi Munanis, vento sæviori existente, malus frangebatur, quo percussus militum aliquis extemplo exstinctus est. Vir quidam, nomine Thoraldus Thrymus, qui in prora navis regiæ versabatur, locutus est: jam fori navis anterioris humescunt, proraque æstuante salo adspergitur, quare próretæ aliquantum remitti de velificatione cuperent. Cui rex surgens respondit: nescius eram, ignem in foris aut in prora excipi oportere; velaque contrahi vetuit, quin quemque rudentem quam maxime intendi jussit. Die Jovis, circa horam sesquialteram post meridiem, rex sinum intravit, moxque navibus ad pontes appulsis, excurrerunt. Birkibeini, qui de itinere regis Magni nullum nuntium prius acceperunt, quam iis jam supervenisset, quo loco quisque erat constitutus, consurrexerunt, alii ad arma, omnes vero, quibus vita potior erat, ex oppido aufugerunt. Mons flammantis speciem præbuit, clypeis rutilantibus. Ad triginta viri, partim supra oppidum, interfecti, quos Heklungi statim vestibus spoliarunt. Rex Magnus vetuit, ne quis tam audax esset, ut corpora eorum prius humaret, quam ipse in oppidum redisset, dicens convenire, eos canem et corvum eo loco exspectare. His rebus gestis rex Magnus, concilio convocato, ipse hunc in modum verba fecit: in hoc oppido, quo nunc pervenimus, eandem opem et auxilium ab oppidanis exspectamus, quam vos antea mihi patrique meo præstitistis; nam hoc loco et domicilium semper habere consvevi, quamdiu in otio nobis vivere licuit, et plerique mei cognati et coalumni ibidem versantur. Nunc

primum tentabo, si forte cum rege Sverrere mihi congredi liceat, a quo cum digressus fuero, huc in oppidum proficisci, partaque victoria omnibus exoptatus adesse statui. Hæc regis oratio magna omnium acclamatione accepta est, dicentium: faxit Deus, ut tu, domine, incolumis redeas, quæque optes, in hoc itinere consequaris. Dein rex ad naves regressus, discessum tuba imperavit. Vulgo autem dicebant, tantam in navi regia visam esse cornicum multitudinem, ut quisque rudens contectus fuerit; quale portentum se nunquam antea conspiciendum præbuerat. Vespere rex Magnus cum omni classe ex oppido discessit, excepta nave speculatorum, quæ ab æstu in sicco derelicta sequenti nocte ex oppido solvit.

Regis Magni boream versus adversus regem Sverrerem profectio.

87. Rex Magnus boream versus per freta qua constituerat, navigavit, cursumque in sinum Sognicum, vento lentiori, flexit.. Quorum adventu Sognenses cognito, complures scaphis ad eos remigarunt, navibusque conscensis regi se comites adjunxerunt. Hi nuntiarunt, regem Sverrerem partem copiarum firmissimam a se dimisisse, ipsum in sinu Norico cum paucis navibus ad ancoras stare, ibique multa hostiliter fecisse. Quo audito complures magnopere gavisi sunt, dicentes, nunc demum eventurum quod oportuisset, ut turbulenta hæcce factio, quæ tot damna Norvegiæ intulisset, ut sero possent reparari, Deo adjuvante perverteretur. Vir nobili genere, Ivar Elda, qui in Syrstranda[1] habitabat, cum classis regis Magni conspiceretur, mensæ accumbens confestim surrexit, et ad navem descendit; inde ad navem regiam remigavit, eam-

[1]) Sudurstranda, *G*.

que conscendit, et liberaliter ab rege exceptus est. Ivar regi se comitem adjunxit. Rex Magnus cum ad divortium sinuum venisset, cursum in sinum Noricum flexit, classem habens viginti et sex navium, quarum pleræque erant ingentes, beneque viris, armis omnique belli apparatu instructæ.

Rex Sverrer se ad prælium comparat, orationem ad milites habet.

88. Jam ad regem Sverrerem redeamus; is proximo post die Veneris, quam Soknadalum incendiis vastaverat, ad Haugastrandam, quo loco Fimreitus dicitur, consistens, circa horam tertiam pomeridianam cibum sumebat; ibidem duodecim naves, duabus in Soknadalo relictis, habebat. Cum vero mensis aliquamdiu accubitum esset, rex quosdam, qui e regione navis regiæ erant, cum speculatoribus audiit colloquentes, dicentes, magnam se classem velis per exteriora sinus Sognici ferri videre, jam speciem sex septemve navium reddentem, jam, cum raresceret classis ac dispersa ferretur, decem aut duodecim aut aliquanto plurium. Speculatores inter se disserebant, quænam istæ naves essent, dicentibus aliis, navigia esse vectoria, Sognensesque a meridie Bergis conjuncta classe navigare, aliis, vela sibi longarum navium similiora videri. Quorum colloquio audito rex a mensa surrexit, in terram egressus ad speculatores accessit, magna ad eum ex navibus multitudine hominum confluente, qui suam quoque de his navibus conjecturam faciebant. Rex, cum aliquamdiu speculabundus constitisset: non est, inquit, dissimulandum, adesse hostem; sunt enim hæc profecto navium longarum vela. Rex confestim tibicinem arcessitum universos milites ad egrediendum classico vocare jussit; cumque omnis exercitus

navibus egressus erat, orationem orsus, hunc in modum verba fecit: quod antea, Birkibeini, usu nobis venit, idem nunc quoque eveniet, ut labor haud dubie nos maneat; nam non dissimulandum videtur, regem Magnum brevi adfuturum. Notum est omnibus vobis, magnum numerum nostri exercitus discessise, alios meridiem versus Bergas, ubi quo successu negotia sua hac vice peregerint, penes Deum esto, alios emporii inflammandi causa profectos, quæ manus nulli nobis usui esse potest. Quodsi hoc loco adventum regis Magni exspectamus, etsi, quotiescunque manum conseruimus, cum numero impari semper congressi fuerimus, tamen haud dubium esse puto, nos antea nunquam cum tam impari, quam nunc, hostium multitudine certavisse. Quam ob rem deliberandum existimo, utrum cum exercitu, quem habemus, hostibus resistendum, an navibus relictis in terram egrediendum censeatis. Sed cum nemini dubium esse possit, nos incolas Sognii haud amice tractasse, mihi ea conditio perspicua est, regem Magnum nos, quascunque in partes iter faciamus, cum copiis suis omnibusque colonis persecuturum. Neque diffitendum est, tantis me laboribus et difficultatibus, antequam hisce navibus potitus sum, circumventum fuisse, ut me credam, iisdem nunc amissis, haud amplius ad naves in Norvegia confugiturum, et cuique, ut ipse sibi consulat, necesse futurum. Verum neque vos meo solius arbitrio in tantum discrimen adducere volo, si tali ratione nihil profici posse omnes persvasum habere sibi videantur, neque animo perturbari aut ad aliam rationem confugere, si centuriones ceterique milites hostibus aliquo pacto resisti posse censeant. Quum rex finem dicendi fecisset, quid vellet, intelli-

gere sibi visi sunt; quare placuit omnibus, id comprobare, quod regem velle intelligebant, etsi rem in discrimen committi cernerent. Itaque omnes ferme una voce responderunt, se libenter dimicare, nec re inexperta fugam capere velle; nihil rem periculi habituram, quod sæpe cum longe superiori hostium numero dimicassent et victoriam reportassent. Tum rex: nunc elegistis, quod meo est animo gratius, vobisque nunc affirmare possum, vos regem nunc neci daturos, quo vos fortiores ac strenuiores præbere debetis. Hoc dictum multorum animos valde suspensos reddidit, uter regum intelligendus esset. Post hæc rex Sverrer milites, navalibus tentoriis raptim detensis, naves per interiora secundum litus remis propellere jussit: una vero celox in Soknadalum ad arcessendos milites nostros, ut se nobiscum conjungant, quam vehementissimo remigio contendat; interea nos obviam eis remigabimus. Una pars militum in quaque navi remis adsideat, altera ex singulis seminterscalmiis litori scaphis adremiget, saxaque in naves exportet, tertia reliquique omnes, qui expediti sunt, pugnam comparent, navesque pluteis bellicis muniant. Quod a rege imperatum est, faciunt; clavis ab rege datis lora e corio rosmari in spiram collecta intrinsecus navium tabulis undique adfixérunt, his (loris) palos inseruerunt, quibus pluteos adfixerunt; quæ res omnes magnopere occupatos tenuit, facileque visu erat, Birkibeinos magnum in ea re usum habere. Celoce missi, per interiora remigantes, commilitonibus suis per exteriora remigantibus occurrerunt, eosque de fama (hostium adventus) certiores fecerunt. Interea qui navibus longis vehebantur, summa celeritate usi, remos impulerunt et quam vehementissime remigarunt; et

obviam suis contendentes tanto certamine remigium urgebant, ut propius advecti remos inter se abstergerent. Tum rex: haud res nostræ patiuntur, inquit, ut alteri alteris remigium vulneretis. Mox suos ad terram appellere ibique adventum regis Magni exspectare jussit. Tum saxa in naves exportata, lateraque navium pluteis communita erant. Rex retinacula ex omnibus navibus in terram efferri, proras pelago obverti, remosque in usum remigantium componi jussit; navis regia in extremo cornu prope litus constituta est. Dein rex suos armari et in interscalmia se distribuere jussit; quod et fecerunt. Rex Sverrer in terram egressus, ad rivulum quendam accessit, ibi se lavandum, vestesque quasi convivium aliquod frequentaturus verrendas curavit; omnes vestes regiæ subfusco colore erant. Dein rex in rupem descendit, sub qua navis sua stabat; ibi etiam aliquot verba fecit, puppim navis manibus prehendens, quas sui amovebant, quod pix in pertica nondum erat siccata. Hic rex: naves nostras non copulabimus, inquit: spes nostra omnis, si qua in re, posita est in altitudine navium nostrarum et in fortitudine militum, quos et acerrimos et rei militaris peritissimos habemus. Una ratio omnibus servanda, hostes nostros superare; fugam capessere pacemve petere, inutile est; arma vestra conservate, neque temere e navibus ejicite. Primum vos ipsi defendite, alteri alteros tueamini, Deus omnium nostrum protector sit! His dictis signa erigi jussit. Extra classem lingula quædam saxosa excurrebat, quæ prospectum in sinum omnino fere adimebat. Post hæc unam celocem emisit, quæ de exercitu regis Magni exploraret; qui cum paucos a litore remorum ductus provecti essent, vehementer retrorsum

remigarunt, dicentes, classem hostium in eos ferri. Mox classicum sonuit; Birkibeini totam classem remis incitatam adversus hostem eduxerunt, clamoremque sustulerunt. Thordus Finngeiris frater[1] Mariosudam gubernabat.

Oratio regis Magni.

89. Jam rex Magnus in sinum adversus Birkibeinos contendit; cumque Heklungi intellexerunt, brevi hostem spatio abesse, vela contraxerunt, navesque stantibus malis junctim ferri siverunt, omnibus tunc militibus armatura indutis et ad pugnam paratis. Hic rex Magnus orationem habuit, dicens: has ingentes naves mercatorias, quas habemus, cum remis haud facile propelli possint, inter navem meam et Ormi copulatas ad ingentem illam navem provehamus et cum ea jungamus, quas naves non prius dissolvi vellem, quam alterutræ essent propugnatoribus nudatæ. Et certo scio, eum multorum sermonem voluntatemque esse, ut rem bene geri existiment, si efficere possimus, ne posthac necesse sit, nos utrosque, me ac Sverrerem, hasce impensas bellicas laboresque militares imperare; quod ut fiat, Deum precari conveniens esse existimo, eaque res meo ingenio et voluntati admodum convenit. Mihi quinque annos nato hujus terræ proceres et incolæ regium nomen dederunt; septem annos natus a legato Romano et Eysteine archiepiscopo omnibusque hujus terræ episcopis rex inauguratus sum; qua quidem ætate tanta in me erat puerilitas, ut nec ad edendum testimonium, nec dicendum jusjurandum idoneus essem, satiusque ducerem, ludicra cum aliis pueris exercere, quam inter principes versari. Ut regiam dignitatem non adpetii, ita ea mihi parum jucunditatis attulit. Jam viginti octo annos

[1]) *sic A, B, F;* Bengeiris filius, *G.*

complevi, ex quibus proximi octo et meo et omnium hujus regni civium damno exierunt. Sed Deus omnipotens amicos meos et principes omnemque populum pro benignissima eorum opera, qua in multis laboribus usus sum, remuneret. Neque vero vobis magnopere necesse habeo stimulos addere: omnes enim facile possunt intelligere, quam gravis necessitas flagitet, ut pro se quisque rem quam fortissime gerat; nec virtutis exserendæ occasio deest, cum militum copia non desit, pro quo Deus laudandus; quemcunque enim hujus terræ locum adiimus, semper ad nos copiæ confluxerunt. Nunc autem Sverrer copias suas huc illuc a se dimisit, paucis relictis, quos in hoc sinu, tanquam oves in septo, clausos et obsessos tenemus. Denique eum finem Deus huic congressui imponat, ut postea, sive tum vivamus, sive mortui simus, pace ac libertate per hostes nostros frui possimus. Hæc oratio magna omnium acclamatione accepta est, dicentium: hæc omnium regum felicissimus dixeris, faxitque Deus, ut hostes tuos profliges. Tum Ormus regis frater locutus est: mea sententia est, domine, ut primum naves minores adgrediamur, quæ impetum haud diu sustinebunt; nam ingentem illam navim haud facile expugnari posse existimo, quoad iis suppetet et copia militum et facultas ceterarum navium, quæ eis succurrere possint. Cui rex: ingenti illa navi expugnata, omnes ceteræ mihi expugnatæ videntur. Quod rex præceperat, sui fecerunt; quatuor maximæ naves inter se junctæ, regia navis proxime ad litus meridianum constituta.

Oratio Asbjornis Jonis filii.

90. Asbjorn Jonis filius provectam navem suam cum nave Ormi copulandam curavit. Tum

Asbjorn hunc in modum verba fecit: nunc demum illa dies illuxit, quam omnes jam pridem desideravimus, qua regem Sverrerem et Birkibeinos, tanquam oves septis, inclusos tenemus. Nec amplius calliditati ac dolis ejus locus ullus erit, nunc enim ipse ac Birkibeini ejus auxilio destituentur, a quo omnia consilia petiit, nimirum diaboli, in quem credit, qui amicis suis aliquamdiu successum dare, supremo vero vitæ tempore deserere solet. Nunc Sverrer ad consilii inopiam redactus est, qui a se Petrum Porcium meridiem versus Bergas dimiserit, cujus negotia eo loco dignum habuerunt exitum; dimissi quoque in Sognum sunt, qui eorum sunt pessimi, speculatorum diabolicus grex, quique plurima patravit maleficia, Ulvus[1] oppidano natus. Jam Sverrer insuper maleficiis et hostilitatibus suis cumulum adjecit, cum christianam terram incendio vastarit, quod solum maleficium antea infectum reliquerat, cujus nunc graves pœnas luet. Impetum bini aut terni in singulos Birkibeinorum faciamus, si facilius videbitur; graves ictus in adversa corpora infligamus, nihil curantes, quam partem ferro violemus; nam esca canibus aut corvis dissecanda haud diligentem curam exigit. Hujus oratio magna omnium acclamatione accepta est, præclare verba fecisse testantium. Post hæc naves quaternas aut quinas copularunt, copulatasque ab exteriori latere extremarum remis propulerunt, quo facto omnes æquis frontibus per interiora sinus prope ad litus meridianum ferebantur. Rex Magnus tunica coccina bicolore erat indutus, dimidia alba, dimidia rubra; ejusdem coloris et panni tunicam gerebat Magnus Mangius, filius Eiriki Stagbrelli.

---

[1]) Lauvnesensis, *add.* G.

Rex gladio usus est, Fiskryggo dicto, qui omnium gladiorum præstantissimus habebatur.

Prælium Sognicum.

91. Nunc de aliquot eventis, quæ acciderunt in congressu duorum illorum regum, cujus supra nonnullam fecimus mentionem, referemus; itaque inde ordiendum, unde narratio digressa est. Birkibeini, a terra remigantes, tum hoc statim animadverterunt, ferri in se classem Magni regis, tum etiam, quod maris ante classem species talis erat, qualis in vehementibus imbribus tranquillo aere effusis esse solet. Hic imber cito transiit, quippe nimbus sagittarum, contra quem clypeis opus erat. Mariosuda, cum converteretur, longum anfractum carina sulcavit; quæ cum, aciebus inter se concurrentibus, frontem nondum plane obvertisset, navibus regis Magni in latus proræ delatis, a conatu depulsa adversis proris navium hostilium latus obliquum præbuit, ita ut Skeggius anteriori sentinæ interscalmio adhæreret, et deinceps aliæ ex aliis proram versus, ut cuique locus dabatur. Hic deinde acre et vehemens prælium ortum est, militibus regis Magni ingenti ardore rem gerentibus, Birkibeinis autem se magis defendentibus quam impugnantibus; atque sic universa acies introrsus secundum litus et aliquantum propius ad terram ferebatur. Birkibeinis in navibus primo in aciem provehendis rem tardius administrantibus, Mariosuda inter naves Magni regis et terram est constituta. Quo facto rex Sverrer uno comitatus in scapham se dejecit, et ad navem Eiriki regis filii advectus, hos inclamavit, dicens, eos inepte ac parum audacter rem administrare, præcepitque, ut extra ingentem illam navem provecti, minores naves adgrederentur, ibique quid efficere possent, tentarent. Rex inter naves sca-

pha vectus, suos hortabatur, et præcepit, quo suam quisque navem applicaret, Cui dicto audientes Birkibeini, navibus audacter provectis, acrem impetum fecerunt, ab hostibus invicem non minori fervore impugnati, dum alteri in alteros omne telorum genus ingererent. Rex, navem suam repetens, sagitta in proram scaphæ supra caput ejus conjecta, moxque altera in latus scaphæ ante pedes ejus accidente, re nihil commotus sedebat, comitique, periculosus ictus, domine, dicenti: propius accidet, cum Deus volet, inquit. Interim rex animadvertens tela ac lapides in Mariosudam adeo dense ingeri, ut navem suam conscendere nequiret, cursum avertit et ad terram appulit. Munan quoque Gauti filius ac sui, navi ad terram applicata, excurrerunt, et ingentia saxa in Mariosudam, per totum interscalmium anterius et proram versus usque ad sentinæ interscalmium ingerebant, ut omnes ibi constituti male mulcarentur. Proræ defensores, oppugnatione Heklungorum et conjectu telorum in primis afflicti, inter se colloquebantur, eos, qui in anteriori interscalmio essent constituti, nunc oportere regi pro mulso ac splendidis tunicis gratiam referre. Tum puppis defensores dextri lateris propugnatores hortabantur, ut navem remis longius proveherent; illi dicto audientes navem sic propulerunt, ut Skeggius posteriori sentinæ interscalmio adjaceret, quo facto omnes sinistri lateris et anterioris interscalmii defensores laboris satagebânt, quatuordecim[1] navibus alteri Mariosudæ lateri adhærentibus. Heklungi sagittas, gæsa et silices, ab oriente e Skidâ advectos, summo adversariorum detrimento ingerebant, etiam gladiolos et pila conjiciebant, neque tamen ita adpropinquabant,

[1]) tredecim, *B.*

ut cominus pugnare possent. Birkibeini etsi nihil nisi sese defendebant, magno tamen numero ceciderunt, omnes fere telis et saxis vulnerati erant, adeoque lassitudine et contusionibus affecti, ut reperirentur, qui leviter aut non vulnerati labore exanimati essent. Sed ideo Heklungi a nave conscendenda prohibiti sunt, quod ex proris navium suarum pugnare coacti rem minus commode administrare potuerunt; qui si latera lateribus applicuissent, certe alterutri multo celerius in naves alterius transcendere contendissent.

Prælium et oppugnatio Eiriki regis filii.

92. Etsi his, qui aures huic narrationi præbent, incredibilia fortasse videbuntur, quæ de hujus prælii exitu referentur, tamen jam memoriæ prodemus, quænam potissimum res, accedente fortuna, effecerit, ut victoria eo se verteret, unde longius abesse videretur. Eirikus regis filius cum tredecim[1] expeditis navibus Birkibeinorum extra magnam illam navem, sicut supra demonstravimus provectus, adversus tredecim[1] extremas naves Heklungorum, quæ magnæ illi navi non adjacebant, se convertit, et latus lateri applicuit. Hic acerrima pugna exstitit, Birkibeinis, qui hoc quoque loco majores naves et plus copiarum habebant, acriter et militariter (perite) oppugnantibus. Quorum impetum Heklungi fortissime sustinentes, adeo acriter pugnabant, ut nemo intelligere posse sibi videretur, utrum prius pugna eo loco, an expugnata ingenti illa navi, decerneretur. Ibidem magnus aderat scapharum numerus, quas Sognenses adduxerant, qui ad ictum teli advecti sagittas in Birkibeinos conjecerunt. Eirikus regis filius latus navis suæ lateri extremæ copulatarum ap-

[1]) quatuordecim, *B.*

plicuit, navis altitudine hostibus longe superior; hic satis acriter pugnatum, Heklungis impetum audacter excipientibus. Cum vero aliquamdiu cominus pugnatum esset, Heklungi multitudine superati partim ceciderunt, partim seminterscalmia vacua reliquerunt. Quo facto Birkibeini in navem transcendere contenderunt. Benedictus nominatus est vir, signifer Eiriki regis filii; is primus cum proræ defensoribus transcendit. Quo animadverso Heklungi, magno se impetu obviam ferentes in hostem vadebant, et Benedictum cum pluribus, qui adscenderant, interfecerunt, alios e navi iterum repulerunt. Mox ab Eiriko regis filio stimulati, iterum transcendere contenderunt, signoque potiti tam acrem impetum fecerunt, ut Heklungi pedem referrent, et in navem proxime adjacentem transilirent, Birkibeinis vehementer insistentibus. Hic accidit, quod fere usu venire solet, ut timore aut fuga præliantes invadente, quamvis in impetu excipiendo satis alacres fuerint, fugientes raro ad pugnam renovandam impelli queant. Hic igitur Heklungi minori, quam in priori nave, alacritate resistebant, omnesque in navem proximam, et inde ex alia in aliam transiliebant. Quos Birkibeini magno cum clamore et fremitu et cohortatione insequentes, omnes obvios trucidarunt et interfecerunt; cumque maxima fugientium turba in majores naves irruisset, milites regiæ navis, qui litori proxima erat, in mare se præcipitarunt; aliæ quatuor maximæ, in quibus Ormi et Asbjornis et navis speculatorum, hominum multitudine depressæ pessum ibant.

Rex Magnus et multi principes cadunt.

93. Rex Sverrer, qui interea in terra versabatur, cum quæ agerentur vidisset, Petro Roii episcopi filio comitatus ad scapham descen-

dit. Eodem momento celox aliqua ab alto adremigans egressum tentabat. Hos rex inclamans: revertiminor, inquit, nunc enim fugiunt. Illi dicto audientes, a terra avecti, cum idem quod antea animadvertissent, remos impulerunt et e sinu remigarunt. Hic Petrus regi: cognostine hos viros, domine, aut quare eos sic compellasti? Cui rex: nonne, inquit, hoc solum erat dicendum, utricunque essent. Deinde rex in navem suam confestim evectus ad celsam puppim se contulit, et victoria lætus epinicium alta voce incinuit, cunctis succinentibus. Rex Magnus de navi sua cum omnibus, qui ea vehebantur, in mare desiluit, plurimaque militum ejus pars eo loco interiit. Birkibeini in litus egressi, eos, qui in terram nando evadere conabantur, in arido exceperunt, quo factum est, ut exigua hostium pars in terram evaderet. Aliquot celoces e sinu remigio elapsæ sunt. Birkibeini exiguis scaphis circumvecti, natantes interfecerunt, nonnullos vita donarunt. Omnes, qui in potestatem regis pervenerunt, pacem impetrarunt. Gubernatores regis Sverreris pacem cognatis et amicis suis concesserunt. Eo loco cecidit rex Magnus et cum eo hi principes: Haraldus filius Ingii, Magnus Eiriki[1] filius, dictus Mangius, nepos ex filia Rognvaldi dynastæ; ibidem cecidit Ormus regis frater, Asbjorn Jonis, Rognvaldus filius Jonis Halkelidæ[2], Paulus Smattoga (ocellus), Lodin Manvikensis, Olavus Gunnvaldi filius, Eindridius Torvius, filius Jonis Kutizæ, Ivar Elda, Vilhjalmus de Torgis, Andreas filius Gudbrandi Kulæ; ibi quoque cecidit Ivar Steig, filius Ormi regis fratris, Halstein Snakus[3] Botolvi filius, cognatus regis Magni, Ketil Laurentii filius, Sigurdus Hita, Ketil Fluga. Eo loco,

[1]) Stagbrelli, *add. G, F.* [2]) *omitt. G.* [3]) Snikus, *G;* Sink, *F.*

ut inter plerosque constat, non minus bis mille centum sexaginta viri ceciderunt. Hoc prælium vespere festi Viti[1] commissum est, sole occidente acies inclinari cœpit, circa vero mediam noctem, cæde finita, Birkibeini omnes naves suas in statione collocarant, tentoriis velarant et res suas ordinarant.

Oratio regis Sverreris.

94. Primo mane sequentis diei rex, concione tuba advocata, ipse surgens hunc in modum verba fecit: pro nostra victoria Deum ipsum laudemus, qui nos in hoc prælio multo quam antea manifestius suo auxilio et ope adjuvit; neque convenit, ut hanc eximiam victoriam nobismet aliter tribuamus, quam profitendo hæc omnia ex Dei voluntate ac consilio gesta esse. Cui vicissim dignas gratias et gratos honores persolvamus; primum pacem, omnibus qui compositionis causa nos adierint concessam, fideliter servemus, opem vulneratis feramus, omnesque, quorum corporibus potiri possimus, sicut fert consvetudo christianorum hominum, sepeliendos curemus. Id omnibus nostris officii impono, ut quibus quisque artibus aut rationibus possit, corpora pro litore quærant; qua in re, qui hoc facere volent, et rem Deo gratam facient, et suam augebunt, nam omnes aliquantum, quosdam etiam multum pecuniarum secum habuisse puto. Nunc demum imperium hujus terræ ad me pervenisse videtur, sive id bene, sive male sim administraturus; Deoque gratum erit, si nos placabiles et justos præbeamus, multique eo sibi magnopere opus esse haud dubie sentiunt. Ut etiam ad vos, milites, meam orationem convertam, Deus vobis pro vestra opera, quam

[1]) die 15. Junii.

libentissime præstitistis, digna præmia referat; ipse, quantum facultates sinunt, vos liberaliter remunerabo. Jucunda recordatio est, quas possessiones ac pecunias torquati isti, huic litori præjacentes, habuerint, eas omnes vos accepturos esse, et præterea optimas, quæ in hoc regno offeruntur, uxorias conditiones, talesque honorum titulos, quales vobismet ipsis placeant, eo quod in hoc prælio multa acquisivistis, et quædam nimia, multorum scilicet invidiam, a qua nobis diligenter cavendum: nos autem omnes Deus tueatur. Excepta est hæc oratio magna ac secunda acclamatione, omnesque regi pro ea gratias egerunt.

Corpora Heklungorum quæsita.

95. Post hæc rex Sverrer omnes naves introrsum secundum litus propelli, eoque loco, unde fœtor cadaverum animadverti non posset, constitui jussit; quo loco classem aliquamdiu tenuit. Interim ad eum Sokndalenses emporiique sessores venerunt, et in gratiam cum eo redierunt, nihil eorum quæ imperaret recusantes, quod jurejurando confirmaverunt. Hic usu venit, quod vulgo dicitur: multi manum deosculantur, quam abscissam cuperent. Rex eis ceterisque colonis necessitatem injunxit corpora ad sepulturam comportandi; cuique veniam dedit funera cognatorum et amicorum, quanta quisque diligentia vellet, ad sepulturam componendi. Post hæc complures, et regii et coloni, quotidie ad corpora quærenda scaphis excurrerunt, magnumque eorum numerum mari extraxerunt. Die quodam corpus Ormi regis fratris inventum est, et ab amicis ejus meridiem versus Bergas relatum, inde a Vikensibus acceptum et orientem versus Osloam deportatum, ubi in lapideo pariete ædis Halvardi juxta regem Ingium, fratrem

suum, regemque Sigurdum Hierosolymipetam compositus est. Proximo post die solis, sero vespere, complures scaphis ad quærenda corpora excurrerunt; etiam rex parva celoce ad eos evectus est. Vir erat nomine Ljotus, Haraldi filius; is scapha cum duobus aliis, Arnio Gudmundi et Jone Kollo, vehebatur. Hos allocutus est rex: næ vos hoc loco in piscando assidui estis; quo successu, quæso? Eodem illi momento corpus ad summum latus scaphæ extrahebant. Rex: pretiosum istic extraxistis, quæ res vobis majoris habet fortunæ omen. Sane quam lucrosa captura, inquiunt, si hoc regis corpus est. Rex Sverrer: hoc vero corpus regis Magni est. Illi scutum corpori subjecerunt, et in celocem, qua vehebatur rex, sustulerunt. Quo facto litori adremigarunt; corporeque in terram exposito, homines ad cognoscendum accesserunt, facileque agnosci funus potuit, quod neque vultus mutatus erat, neque rubor genas reliquerat, neque artus riguerant.

Oratio a Petro Porcio Bergis habita.

96. Proximo die lunæ arca funebris fabricata est; sed priusquam funus regium pannis involveretur, rex Sverrer omnes, qui olim partium regis Magni fuerant, accedere et mortuum agnoscere jussit, deindeque testimonium edere, si forte Vikenses, regem Magnum adhuc vivere fingentes, eo pacto aliquam seditiosam factionem instaurarent; se non crudelitate hæc in eos facere professus. Itaque illi ad funus accesserunt, neque fere accedentium quisquam fuit, qui lacrimis temperare posset; mortuum osculati discesserunt. Corpus regis Magni panniculo involutum arcaque conditum rex Sverrer meridiem versus Bergas deportandum curavit; complurium

funera principum jam antea inventa erant. Regi brevi post iter inde comparanti Soknadalenses viginti quinque selibras auri pependerunt, quo facto meridiem versus Bergas profectus est. Fama de his rebus eo jam antea perlata erat, quod hac primum occasione factum est. Nimirum procedente die Saturni post prælium proximo navis aliqua ad oppidum pervenit, quæ ad ædes regias appulsa est. Hæc navis proram et puppim versus clypeis erat ornata et milite bene instructa, adeo ut essent, qui ipsum regem Magnum advehi putarent. Egressis in terram, tuba significatum est, conventum a Petro Porcio indici. Quo congregatis omnibus oppidanis, Petrus surrexit, et hunc in modum verba fecit: convenit in me tritum illud: sæpe idem porcus in agro; nam mihi quoque Porcio nomen. Ego ille, qui brevi abhinc temporis spatio ex hoc oppido magna cum ignominia expulsus et exagitatus fui, idem nunc iterum redii, ingentesque habeo res, quas referam, mortem Magni regis, Haraldi Ingii filii, Ormi regis fratris, Asbjornis Jonis filii, compluriumque præfectorum. Rex Sverrer, ex Sognio profectus, huc in oppidum brevi venturus, optat a vobis, ut se, quo suæ dignitati conveniat honore, excipiatis. Quid autem causæ est, cur omnes capita demittant aut vestibus obnubant? Deum testor, me nunquam antea universos tam mente alienatos, quam hosce, animadvertisse. Verum affirmare vobis pro certo possum, vos nunquam tam miserabiliter lamentari aut singultire ac lugere, ut non mortuus sit rex Magnus, totusque occubuerit exercitus ejus. Illud potius officium convenientius fuerit, ut manes eorum placetis pulsu campanarum aut cantu, aut pecuniis in pauperes homines aut in sacerdotes ad precationes celebran-

das collatis. Jam frustra vos regiam Sverreris dignitatem vellitis aut carpitis, nunc enim rex Sverrer iis, qui vobis, colonis et mercatoribus, ferociores sunt, cervices fregit; nam mercator et colonus sibi ac suis fortunis timet, ventum et aquas metuit. Salubre vobis consilium do: æquo animo feratis, regem Magnum eum exitum habuisse, quem pro factis suis meruerat: regem Sverrerem vobis a Deo missum accipiatis; sic legitimum principem et sapientem, liberalem, disertum, justitiæ ac pacis amantem, excellentem victorem, et ad terram tuendam regnumque administrandum in primis fortem habebitis. Abest Sverrer ille, a quo multa sunt emporia direpta; absunt Birkibeini illi, qui in hoc oppido grassantes, vestras, coloni, arcas fœde everserunt. Aderunt cum rege nostro modesti et mansveti aulici, qui hujus emporii ceterorumque claustra clavesque erunt. Abigite homines dolosos et fallaces dominorumque proditores, regi vestro vos benevolos et fideles et officiosos præbeatis. Rege in oppidum veniente, omnes dimittite, qui proditionis in regem aut suos manifesti sunt, neque in gratiam postea redierunt. Ipse rex pacem et reconciliationem omnibus petentibus et se convenientibus offert, eamque ipsam ob causam Deus omnesque sancti eum læti accipient et in pacem transferent.

Regis Sverreris Bergas profectio, et sepultura regis Magni.

97. Rex Sverrer vento secundo Bergas navigans, antequam oppidum præveheretur, suos jussit iter sic instituere, ut copiæ oppidanis, melius secusve placeret, quam maximæ viderentur. Quod factum est. Ut vero ad oppidum venit, pulsatis toto oppido campanis solennique pompa honoratus et liberaliter ab oppidanis

exceptus est, eoque loco aliquamdiu commorabatur. Funus regis Magni, ad sepulturam compositum, in æde Christi extra chorum ante parietem lapideum a meridiana parte humatum est. Rex Sverrer et Paulus episcopus cunctaque oppidanorum multitudo exsequias ejus celebravit. Et antequam funus regium sepulcro lapideo inferretur, rex Sverrer advocavit, qui mortuum inspicerent, ne postea dicerent brevi intermisso spatio hunc eundem Magnum adversus se dimicare. Dein complures accedentes corpus inspexerunt, lacrimantesque discesserunt. Quorum unus, aliquis ex speculatoribus regis Magni, mortuum osculans lacrimas fudit. Quem rex Sverrer oculis prosequens: sero talibus, inquit, credendum existimo. Pulcræ sunt in regis funere orationes habitæ. Orationem habuit Nicolaus Sultan, avunculus regis Sverreris, vir in primis disertus. Etiam rex longam habuit orationem, sic dicens: ejus funeri hoc loco nunc operam damus, qui et bonus erat, et suis amicis et consangvineis in primis acceptus, etsi nobis cognatis mutua coalescere concordia fortuna inviderit; nam in me meosque valde se durum præbuit; sed jam ei Deus ignoscat omnia, si qua in re modi terminos excessit: erat enim multis in rebus princeps honestus regioque genere ornatus. Hanc orationem rex multis eximiis sententiis exornavit, neque enim ei deerat verborum copia, neque dexteritas materiæ quo vellet modo tractandæ. Rex Sverrer sepulcrum regis Magni diligentissime ornandum, lapidem sepulcralem cancellis circumdandum et tapetibus velandum curavit.

Characterismus Magni regis.

98. Rex Magnus populi amore et gratia valebat, in primisque a Vikensibus adjutus est.

Quam fuerit a populo amatus, hoc signo est, quod, cum valde damnosum esset ejus castra sequi, tamen nunquam, quamdiu vivebat, deerant milites, qui ejus se partibus adjungere vellent. Quod idem res postea declaravit; nam omnes, qui se ab eo originem ducere prædicabant, bonam copiarum facultatem habuerunt, quemadmodum infra demonstrabitur; quod eos in primis insigni gratiæ, qua apud omnes incolas tota stirps regis Sigurdi Hierosolymipetæ regisque Eysteinis fratris ejus valebat, acceptum retulisse censemus, cum omnes familiam Haraldi Gillii odio haberent eamque exstirpare cuperent, dicentes, nullam eo deteriorem pestem in Norvegiam irrepsisse. Rex Magnus erat magna facilitate et hilaritate, admodumque more adolescentulorum vivebat; erat in primis vinosus et mulierosus, ludorum amans, omnesque agilitate antecedere studebat. Vires corporis erant satis magnæ, magna liberalitas et in largiendo magnificentia, clarus eloquii sonus, quæ res omnium animis vehementer arridebant. Erat insigni in armis tractandis audacia, in cultu splendidus, in vestitu elegantiæ haud vulgaris sectator; statura proceriore, compacta artuum structura, gracili corpore medio, concinna et venusta membrorum proportione, de facie pulcher, excepto ore, quo erat deformior.

Oratio regis Sverreris.

99. Rex Sverrer, omnibus oppidanis in cœmeterium ædis Christi tuba convocatis, concilium habuit. Havardus dynastæ filius primus surrexit et regis nomine verba fecit; ostendit, quam necesse esset, regem liberaliter et honorifice excipi: potest enim nos multis honoribus ornare. Qui si nostra, ut esse oportet, tutela et defensor esset, nosque ei firmiter et fideliter operam navaremus, omniaque, quæ ei jure de-

bentur, præberemus, res bene, ac pro eo ac par est, se haberet. Facile poteritis intelligere, quanto ei regnum steterit, antequam id obtinuisset, quot insuper labores et difficultates pertulerit, quibus periculis suam et multorum aliorum fortium ac nobilium virorum vitam objecerit. Nunc vero, quod haud dubie pro certo comperistis, Deus multis eum periculis liberavit. Quamobrem ratio svadet, ut regi benevolentiam præstetis, etsi ei antea adversati sitis; nam in omnes, qui ei sine simulatione obedire velint, clementem se præbebit. Considerate, utri melius faciant, qui ejus sibi amicitiam conciliare, an qui ejus voluntati resistere cupiunt. Vos igitur, quod Deus vos doceat, faciatis, et rem vestram ad bonam frugem revocate! Hac habita oratione, rex ipse surrexit, cumque diu circumspexisset, post longum silentium orationem hunc in modum orsus est: a verbis, quibus psalmographus usus est, ordiemur: Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo, tota die expugnans tribulavit me. Quod vaticinium, multis retro seculis prædictum, nostris temporibus congruit in Magnum cognatum meum, qui arma contra me tulit vitaque me privare studuit; sed Deus, ut antea, me liberavit ejusque regnum mihi distribuit. Nihil omni tempore æque odiosum fuit atque superbia, quam gravissimis pœnis vindicavit. Primum, cum angelum secum æmulantem ab se repelleret, qui ita punitus est, ut pessimus diabolus evaderet. Deinde auctor generis nostri, Adamus, cum Dei voluntati non obtemperaret, in hunc mundum, in hanc terram et servitutem ex Paradiso expulsus est. Cumque imperia condita essent, Pharaone Dei leges et populum violante, decem prodigia terram invasere, qualia nunquam post hominum memoriam

inciderunt. Idem quoque in Saulo contigit, qui cum adversus Deum debaccharetur, impuro spiritu actus oberravit; atque si rerum memoriam repetamus, ita semper in mundo evenisse inveniemus. Sed fieri potest, ut nostra oratio nostra tempora propius tangere vobis videatur; nam etiam in hac terra idem evenit, ut illi, qui regio genere orti non fuerunt, evecti sint, ut Erlingus Skakkius, filius Kyrpinga-Ormi, qui se dynastæ, filium regis nomine salutari jussit. Quo facto omnes regias familias oppresserunt, ut tali se familia ortum dicere eo tempore capitale esset; habuerunt secum omnes, quotquot in regno erant, summi consilii viros; reges, ad quos natalium ratione jus imperii pertinuit, omnibus provinciis exuerunt; donec Deus humilem parvumque hominem a scopulis maritimis misit, qui eorum nimios spiritus frangeret, qui homo ego fui. Neque vero hoc sponte fecimus, sed Deus ipse ostendit, quam facili negotio nimios illorum spiritus frangere posset. Neque rex Magnus nec Erlingus dynasta culpa in nos, ut hic populus dicit, vacabant, ut injuste ista faceremus; neque adeo memoria laboramus, ut quid in nos peccatum fuerit, non recordemur: primo, cum Bergenses regem Sigurdum interfecerunt, patrem meum, qui jure natalium hujus regni justus erat hæres. Dein factione auxilio Erlingi dynastæ excitata, regem Hakonem, fratrem meum, prostraverunt; quo facto Erlingus duos cepit fratres meos, quorum alterum, tanqvám cornicis pullum, suspendit, alterum securi percussit; quarum rerum, quas modo enumeravi, memoriam sero deponemus. Me quoque ipsum tanta semper incommoda circumsteterunt, ut, nisi populi nostri misertus essem, illive, qui natalium ratione nullum jus regni habebant, rerum potiti fu-

issent, libenter imperio renuntiassemus. Populus quidem nunc in libertatem est vindicatus, vos vero inaudita odia non reponitis. Sunt, qui dicant: victoriosus est Sverrer, sapiens est Sverrer. Respondetur: quid mirum? magno ei constitit, quum se diabolo devoverit. Alii dicunt, me ipsum esse diabolum, in quem, vinculis solutum et ab inferis redditum, mutatus sim. Sed attendite, quales sitis, si diabolum a Deo solutum et in me transformatum esse dicitis; huic si servitis, quid aliud estis, quam servi diaboli? eoque miseriores, quam omnes alii uspiam gentium populi, quod ejus ministeriis in hac vita addicti, in altera vita cum eo comburemini. Nonne summæ fatuitatis est, talia cuiquam, in primis regi suo, loqui, me diabolo memetipsum devovisse? Fatuus esset Sverrer, si tanto emere vellet possessionem hujus miselli imperii, nullo temporis momento pace fruentis, et ne tum quidem ullius æstimandi, si perpetua pace uteretur, ut vicissim animam omnemque salutem perdere non dubitaret. Mihi vero hic vituli lupique[1] conglobari videntur; quamquam fieri potest, ut vobis cribrum meum grandioribus foraminibus esse videatur[2]. Jam multi manum, quam truncatam optarent, adorant; is nunc eum consangvineum appellat, quem modo diabolum appellavit; atque opinor, si singulorum, qui hoc loco convenerunt, mentes inspici possent, et a fronte cujusque, qui mihi male cupiat, cornu exstaret, multos cornutos heic loci apparituros. Quin etiam puerulus, limine egressus, lapide, quem manu forte tenet, in saxa dejecto: utinam, inquit, caput Sverreris hic subesset! Talia vos liberos vestros docetis. Idem loquitur miserrima quæ-

[1]) i. e. homines stulti et malevoli. [2]) i. e. ut rem dictis plus justo exaggerare videar.

que ancillula ex cubiculo egressa, quæ lotrico (bacillo lavatorio), quod manu tenet, planum lapidem percutiens: utinam, inquit, caput Sverreris hic subesset! Sed nihilo minus fieri potest, ut Sverrer morbo moriatur. Sciant regis Magni milites, qui hoc conventu adfuerunt, sibi ex oppido ante tertium abhinc diem excedendum esse. Nostris omnibus amicis, qui in hoc concilium venerunt, Deus gratiam referat.

Rex Sverrer tota Norvegia potitus est.

100. Post obitum Magni regis, rex Sverrer eadem æstate orientem versus in Vikam et ad extremos usque regni limites proficiscens, totam terram sibi subjecit, nemine regis voluntati repugnante, jamque suos totius regni præfectos constituit. Sic rex Sverrer solus totius Norvegiæ dominus factus est, septem jam hiemibus, ex quo regium ei nomen datum est, et quinque, ex quo Erlingus dynasta cecidit, elapsis. Tum complures suorum honoris titulis ornavit, alios præfecturis, alios salariis auxit, multos etiam amplis uxoriis conditionibus beavit. Multos ex iis, qui eum in regno obtinendo adjuverant, ad honores evexit, quorum nonnullos, qui obscuro genere orti dicuntur, procerum ordini adscripsit, quorum semper postea firmissima opera utebatur. Rex Sverrer sororem suam Ceciliam Bardo Guttormi filio, Reinensi, collocavit; Ivari Selkio Skjaldvaram, filiam Andreæ Skjaldvaræ filii, nuptum dedit. Petrus Rangius uxorem duxit Ingibjargam, quam in matrimonio habuerat Ivar Elda. Multas alias conditiones iis, quorum in regno obtinendo opera fuerat usus, conciliavit, multosque ad principatum evexit; tumque creati sunt præfecti, donatarii dicti. Una post hieme, quam rex Magnus obierat, rex Sverrer matrimonium iniit, uxoremque duxit

Margaretam, filiam Eiriki Svionum regis, filii Jatvardi sancti. Rex Eirikus Upsalis in Svecia in scrinio compositus quiescit. Margareta soror erat Knuti, Svionum regis. Rex Sverrer duos habebat filios, quorum major natu fuit Sigurdus, dictus Lavardus; alteri nomen erat Hakoni. Filiæ ejus erant Cecilia et Ingibjarga.

Initia Kuflungorum.

101. Una hieme post obitum Magni regis, proxime insequenti autumno id novi accidit, ut factio in Vika instauraretur, principe factionis viro quodam, Jone dicto, filio regis Ingii, Haraldi Gillii filii. Huic factioni se adsociarant multi principes, Simon, filius Olro-Karii[1], Nicolaus filius Bjornis Bukki, Andreas Brasadus[2], Jon Kutiza, Bardus Sala, Thorbergus[3], filius [Pauli Herzlæi[4]. Festo Michaelis[5] Tunsbergum devenerunt, ubi indictis comitiis Hogensibus Jon rex creatus est, eique totum regnum jurejurando adsertum. His comitiis Jon, qui antea monachus in Hofudeya fuerat, pænulam monachicam, qua indutus a Birkibeinis fuerat, deposuit; Birkibeini vero, æquum esse censentes, ut nominis saltem beneficium ordini monachico deberet, eum Kuflungum appellarunt; et hanc appellationem ei regii nominis loco indiderunt. Magna multitudo lectissimorum hominum, quos inter amplissimorum Vikensium filii, ad eum confluebat. Hi navibus ibidem comparatis, septemtrionem versus secundum litora profecti sunt, eo quod Birkibeini in Vika se congregantes magnum numerum militum nacti sunt; quam ob causam Kuflungi, ut primum naves sunt nacti, aufugerunt. Ideo vero Birkibeini eos non persecuti sunt, quod

[1]) Olnokarii, *G.* [2]) Drasadus, *F.* [3]) Thorbergi, *B; omitt. G.* [4]) *sic F;* Hettæi *v.* Heitæi, *A; a signo,* Paulus Hviniensis, *B; omitt. G.* [5]) Nicolai, *F.*

navium quantum ad id satis esset, non habebant. Kuflungis per Agdas exteriores tendentibus, omnes homines eis se subjecerunt; indeque, quascunque in partes irent, totam terram in potestatem suam redegerunt, multum enim copiis valebant. Tunsbergum delati Simonem Skerplam, oppidi præfectum, unacum cohorte ad triginta hominum, interfecerunt.

De Kuflungis.

102. Inde Kuflungi iter boream versus secundum terram ingressi, quocunque venirent, copias ad se transire, nullo resistente, coegerunt. Mox Bergas delati, extemplo, ut primum advenerant, ad pontes adpulerunt; oppidoque potiti omnes incolas in potestatem suam redegerunt, eoque loco aliquot ex Birkibeinis interfecerunt. Dein totam regionem maritimam ad Stadum usque sibi subjecerunt, hiemeque proxime insequenti in arce Bergensi se continebant. Rex Sverrer è Sogno reversus, Mariosudam in Holmum subducendam, tectumque quo servaretur educendum curarat; ex quo tempore aquis nunquam commissa fuit. Hanc Kuflungi, omnibus oppidanis tuba advocatis, deducere conabantur; cum vero navis, adeo vehementer commota quassataque, ut perticæ diffringerentur, loco tamen moveri non posset, eam igne subjecto incenderunt. Sinum Bergensem ingressi fuerant ea hora diei, qua missæ antemeridianæ in oppido celebrabantur, omnibusque fere insperantibus supervenerant. Askel Tyža[1], tum temporis oppido præfectus, cohortem in oppido paratam instructamque habuit; sed cum missæ in æde lapidea forte interesset, non prius animum advertit, quam Kuflungi plena induti armatura in templum invaderent; itaque in scalas se conjecit et in turrim

[1]) Ruza, *G*; Kusza, *B*; Tryza, *F*.

evasit. Quem cum Kuflungi insequerentur, grande saxum de turri in caput unius eorum forte decidit, ut extemplo mortem oppeteret. Tum sacra effigies (Christi in cruce pendentis) sudabat, humore in aram destillante. Askel cum suis occlusa turri diu eo loco obsidionem tolerarunt, donec ab oppidanis pecunia redemti sunt. Kuflungi, cum diu in oppido commorati essent, orientem versus in Vikam se converterunt; cumque magnum copiarum numerum coegissent, aggredi Birkibeinos cœperunt. Rex Sverrer Ulvum Lauvnesensem, Ulvum Flyum, Havardum dynastæ filium, Thorolvum Rympilem, pluresque centuriones provinciis Vikensibus tuendis præfecerat. Hi, prout occasio ferebat, impetum in hostes fecerunt, sed opes Kuflungorum tantopere crescebant, ut Birkibeini e Vika in partes septemtrionales profugerent, præter Ulvum Lauvnesensem, qui cum cohorte sua hostibus resistens se aufugiturum negavit.

De turbis Bergensium.

103. Vere proxime insequenti post festum paschatis rex Sverrer e Thrandheimo magnis cum copiis profectus, circa tempus vigiliarum Bergas pervenit; quo tempore magnus mercatoriarum navium numerus ex omnibus fere regionibus in oppidum advenerat. Germani tantam vini copiam eodem advexerant, ut non pluris vinum, quam cerevisia, constaret. Accidit aliquando, cum incolæ vinum potarent, ut plus vini emere vellent, vinarius autem Germanorum vendere nollet. Sic controversia de unico tantum sextario vini existente, eo usque inter se contendebant, donec Norvegi aggressi tabernam effringere parabant. Germani intus constituti se defendebant, eosque, qui extra erant, gladiis petebant, vulneraque infligebant. Cujus rei fama

cum per oppidum divulgata esset, confestim oppidani et Germani ad arma cucurrerunt, et deinde inter se conflixerunt; multi, præsertim de oppidanis, ceciderunt. Germani ad naves decucurrerunt, et mercatorias universas in sinum provexerunt, oppidani vero impetum in eos facere parabant. Tandem compositione tumultus sedatus est. Eadem æstate multæ aliæ turbæ inter vina extiterunt. Fuit ex Birkibeinis aliquis, qui ebrietate ad eam insaniam redactus est, ut cum se ex palatio magno, qua regium triclinium spectabat, dejecisset, in aquas se natandi causa excurrere putans, mortem oppeteret; alter se ex pontibus ad ædes regias sitis præcipitavit, et submersus periit. Eo tempore rex Sverrer in oppido non aderat; ut vero in oppidum venerat, haud ita multo post accidit die quodam, ut duo homines, bene poti, alter ex speculatoribus, alter ex stipatoribus regiis, inter se rixarentur, deinque alter alteri tela intentare pararent. Thorolvus Rympil, præfectus speculatorum, forte interveniens, cum nulla arma haberet, casside e capite demta stipatorem percussit, vicissim a stipatore securicula ictus. Post hæc alii alios involare, quisque quicquid telorum ad manum erat ingerere, omnibus nimio vino insanientibus. Ex qua turba ægre elapsus Thorolvus Rympil, ad cohortem suam se contulit, inflari tubam speculatorum, congregatosque speculatores arma capere jussit. Stipatores quoque congregati, sumtis armis, in navem suam egressi sunt; his præfuit Asgeir Hamarskallius. Ut vero omnes speculatores advenerant, Thorolvus Rympil, gladio in navem conjecto, ipse extemplo insecutus est, receptoque gladio statim dimicare cœpit. Quem secuti speculatores cum in navem excurrissent, vehemens prælium

ortum est. Neque Thorolviani prius destiterunt, quam navis propugnatoribus esset nudata, multis stipatoribus prostratis, plerisque vero in mare se præcipitantibus. Quo cognito rex accessit, et, factis induciis indictoque conventu in certam diem, præliantes in gratiam reduxit.

Oratio regis Sverreris in ebrietatem habita.

104. Post aliquanto rex Sverrer conventum in oppido habuit, talique oratione usus est: gratias agimus omnibus Anglis huc delatis, qui triticum et mel, siliginem aut pannos huc important, item omnibus, qui linteum aut linum, ceram aut lebetes invexerunt. Quibus adjicimus eos, qui ex Orcadibus aut Hjaltlandia aut Færœis aut Islandia advenerunt, ceterosque omnes, qui in hanc terram importarunt res, rei publicæ necessitatibus et usibus inservientes. Germani autem, quorum magna multitudo cum grandibus navibus huc advenit, butyrum et pisces arefactos exportaturi, his avehendis magnum detrimentum rei publicæ attulerunt, importato vicissim vino, ad quod emendum et milites mei et oppidani inducti sunt. Ex qua emtione multa mala, nihil boni profectum est: hanc enim ob causam multi vitam, alii membra perdiderunt, alii per totam ætatem cicatrices, alii ignominiam, vulnerati aut percussi, gerunt; quarum rerum causa est nimia ebrietas. Quæ Germanorum negotiatio cum mihi ingratissima sit, eos hinc quam primum abscedere jubeo, modo vitam pecuniasque integras retinere velint; horum enim adventus nobis nostroque regno damnosus fuit. Est ut recordemini, quid efficiat, quid afferat, quid perdat ebrietas. Primo, id quod levissimum est, is, qui ebrietati indulget, omnes fortunas evertit, temulentiam ejusque sequelas, bonorum omnium damnum et jacturam, vicissim

lucratus; nam qui antea opibus abundarat, fit miser, mendicus et pauper, si ebrietati non renuntiat. Alterum ebrietatis vitium est, quod memoriam destruat, adeo ut homo, quæ meminisse oportet, obliviscatur. Tertium, qvod homo tum pravissima quævis appetit, neque pecunias injuste occupare aut mulieres rapere dubitat. Quartum nimiæ vinolentiæ vitium est, quod impellit hominem, ne quam rem, dictum factumve, æquo animo ferat, illatasque contumelias duplo atrocius quam pro meritis ulciscatur; insuper ad maledicta in insontes jacienda instigat. Hoc quoque vitium ebrietati adhæret, quod homo, quantum in ipso est, corpus suum defatigat, quo minus labores perferre queat, ut vigiliis conficiatur, sangvinem ex omnibus artubus amittat, damnoque valetudinis perdat, eaque re sanitatem destruat. Cumque res in tam iniquum locum deducta est, ut bona, valetudo, mens sana, ebrietate interierint, tum impellit hominem, ut animum, adhuc integrum, deperdat; tum hortatur, ut rectos mores rectaque præcepta negligat, peccata appetat, Deum omnipotentem omnemque justitiam aversetur, neque quidquam eorum, quæ fecerit, recordetur. Jam animum advertite, nimiæ ebrietati dediti, cum vobis uno tempore ebrietati vitæque renuntiandum erit, a quo animum receptum iri credibile sit. Mementote, quantum talis vita a recta vivendi ratione distet. In omnibus enim rebus moderatio servanda est. Milites in pace agnorum instar mansveti esse debent, in bello leonum instar feroces. Eundem tenorem vitæ mercatores et coloni servare debent, ut opes juste et tamen cum labore acquirant, prudenter conservent, liberaliter largiantur. Inferiores grato sint animo, et suo quisque superiori benevolo

animo et pro facultatibus operam navet. Perorans suos monuit rex, ut se erga oppidanos et colonos aut mercatores bene moratos pacisque studiosos præberent. Quam orationem omnes prudentes secunda acclamatione exceperunt et magnopere probarunt. Autumno insequenti rex Sverrer septemtrionem versus in emporium profectus est, ibique proxima hieme, plerisque principibus suis stipatus, se continebat. Kuflungi in Vika versabantur.

Kuflungi emporium diripiunt, Birkibeinos interficiunt.

105. Eadem æstate Kuflungi copias septemtrionem versus adversus regem Sverrerem ducere parabant, et sero tandem autumno iter compararant. Septemtrionem versus Stadum prætervecti, ferentes ventos boream versus ad Agdanesum nacti sunt. Tum Nevarius hos versus composuit:

Birkibeinos perdamus,
Sverrer inferior discedat,
probato gladio vehementes
et crebros inferamus ictus.
Sedulo caveamus, ne nos sermone jactemus;
edita potius strage gloriemur.
Sinamus, Deum prælii fortunam decernere;
nos impetum, qui eis doleat, faciamus.

Tum ventum caurum leniter spirantem nacti, proxima vespera sinu remis intrato, nova nocte in emporium, nulla præcurrente fama, pervenerunt. Rex Sverrer in arce Steinbjargensi, paucis stipatus militibus, considebat; maxima aulicorum principumque pars in oppido erat, neque prius adventum Kuflungorum animadverterant, quam in oppidum irrupissent. Hic multos Birkibeinorum fortiumque virorum interfecerunt, plerique vero in ædes sacras confugerunt. Ibi cecidit Bryn-

jolvus Rognvaldi filius, Ottar Knerra, Sigurdus Dotafinnus, Andreas Krista, Andreas Bjugus. Jon Kuflungus omnibus Birkibeinis, qui quidem vivi caperentur, vitam concessit, sibi subjectos esse jubens. Ubi vero in verba ejus jurandum erat, jusjurandum iis remisit, eos tam integri esse animi dicens, ut fidem non minus verbis, quam jurejurando datam præstituri forent. Sed statim proxime insequenti vespere Birkibeini cum armis, bini ternive, interdum quini aut plures, ad arcem ad regem Sverrerem se contulerunt; maneque sequenti omnes a Kuflungis abscesserant, regique Sverreri indicarunt, quo pacto pace donati a Kuflungis fuissent. Rex vero Sverrer significavit, Jonem Kuflungum ista agendi ratione ostendisse, eum ad munus imperatorium haud idoneum esse. Eo loco Kuflungi omnes naves Sverreris ceperunt, quasdam abduxerunt, aliquot incenderunt. His confectis rebus, veriti, ne qui incursus in se rege jubente fierent, nocte quadam tenebris obortis ex oppido abscesserunt; interea rex hoc omni tempore in arce se continebat, satis magnas ad dimicandum copias se habere non ratus. Inde Jon Kuflungus meridiem versus Bergas profectus est, rege Sverrere in emporio remanente.

De rege Sverrere et Kuflungis.

106. Insequenti vere Jon Kuflungus iterum boream versus in emporium magnis cum copiis profectus, aliquot noctium spatio ad Holmum stetit. Præcedenti hieme rex Sverrer totam oram maritimam exteriorem, item oram oppido superiorem, defixis palis muniendam curaverat. Missis internuntiis rex Sverrer Kuflungis copiam fecit secum in terra dimicandi, escendendique veniam dedit; sed res ad effectum non pervenit; nam Kuflungi re infecta Bergas recesserunt. Ea-

dem æstate Jon Kuflungus iterum boream versus multis cum celocibus profectus, necopinato supervenire cogitabat; sed rex Sverrer a borea magnis cum copiis adversus eum contendit. Tum Blakkus hos versus pronuntiavit:

Vexilla ante regem erigamus,
Kuflungis damnosi existamus,
acutum ensem secare faciamus,
escam corvi ungvibus (laniandam) dissecemus.
Adversariorum multitudinem repellamus,
regnum principis gladio pacemus,
hastas cruore rubefaciamus,
majorem partem eorum interficiamus.

Celoces vero Kuflungorum tempestate immodica ante Stadum noctu dispersæ sunt, ex quibus quinque boream versus ad Angrum delatæ. Has superveniens rex Sverrer cum multis ingentibus navibus adortus, aliquot homines interfecit, ceteris Kuflungis cursu evadentibus. Reliqua classis Kuflungorum in Birkibeinos incidit. His præerat Atlius Skalmius, speculatorum unus, cujus classiarios ad unum omnes Kuflungi trucidarunt. Paulo post copiæ ad Jonem Kuflungum iterum confluebant, quo facto meridiem versus secundum terram profecti, brevi tempore ibi consumto, orientem versus recesserunt. Rex Sverrer eos Bergas usque persecutus, Ulvum Lauvnesensem et Hidium fratrem suum cum classe sex navium orientem versus speculatum præmisit. Hic meridiem versus in Rottum delati, inciderunt in Kuflungos, eo loco cum classe viginti navium aut celocium consistentes. Ulviani, propulsis adversus eos in portum navibus, confestim clamorem sustulerunt. Kuflungi, regem Sverrerem cum universa classe advenisse rati, navibus ex portu obviam actis meridiem versus aufugerunt. Ex his duas celoces, gubernatoribus Erlendo

Gudbrandi et Paulo Vorskinno, Ulviani interceperunt, omnesque utriusque celocis propugnatores ad unum interfecerunt. Classis Kuflungorum sparsim ibat; diuque solus Jon Kuflungus nave sua oberrabat, antequam ceteræ naves ad eum venirent. Deinde Kuflungi cursum continuarunt, donec Tunsbergum pervenerunt. Tum Blakkus hos versus cecinit:

Homines recordantur, lingvas quasdam
perniciosas ex factione Kuflungorum
nimium gloriatas fuisse; quæ res
alacribus viris perniciei fuit.
Nunc rupes Tunsbergianæ
alio quodam modo resonant:
nam corvus ad Rottum saturatus est,
unda sauciata corpora volvente[1].

Obitus Eysteinis archiepiscopi.

107. Hieme proxime insequente res memorabiles in Thrandheimo acciderunt. Archiepiscopus Eystein præcedenti jam autumno in morbum inciderat, quo per hiemem, donec festum jolense exierat, æger decubuit, cumque vires ejus decrescere cœpissent, ad regem Sverrerem misit, ut se conveniret; quod et fecit. Tum inter se de multis rebus, quæ olim inter eos intercesserant, disseruerunt, regemque digredientem archiepiscopus oravit, ut sibi ignosceret, quicquid ei plus justo adversatus fuisset, quamdiu controversiæ inter regem Magnum et regem Sverrerem tenuerant. Tum ùtrique inter se in

---

[1]) Constructio: *öld man a), at b) foraðstúngur c) hældust d) heldr e) or flokki Kuflúnga; hvatir skatnar guldu f) þess. Nú knå hóts g) annan veg þjóta í björgum Bergs: hrafn var mettr í Hrotti h), lá reiðir i) sjúkan búk.*

a) mun, G. *b) hve*, quomodo, *B.* *c)* i. e. homines maledici. *d) hauldust*, id., *G; heldust, B.* *e) hitt*, illud, *G, B.* *f) guldut, G; guldust, F.* *g) hrots, G.* *h) Hrotta, G.* *i) reiðr, F.*

integram gratiam redierunt, et alter alteri res controversas condonarunt. Eystein archiepiscopus proxima nocte post[1] festum Pauli obiit, et in sacrario ædis Christi sepultus est. Neque ita multo post rex Sverrer, e choro ædis Christi orationem habens, retulit, quid ipse et archiepiscopus inter se ultimo collocuti fuissent; archiepiscopum fassum esse, se ei magis, quam legibus divinis conveniens esset, adversatum fuisse, neque minus alias res in causa fuisse, quod, ut ipsi visum fuisset, causam regis Magni deserere non potuisset. Ea hieme Kuflungi se in Vika continebant.

De Kuflungis et Birkibeinis.

108. Vere insequenti rex Sverrer copias suas in expeditionem comparavit, magnisque contractis copiis meridiem versus Bergas contendit, ibique multum æstatis consumsit. Ibidem tunc temporis concilium erat episcoporum ceterorumque procerum; in quo cum de archiepiscopo eligendo disputaretur, Eirikusque episcopus Stavangriensis maxime nominaretur, quod ab archiepiscopo Eysteine potissimum commendatus fuisset, rex Sverrer nonnihil contra dixit, ostendens, eum ob liberalitatem minus esse ad curandas pecunias idoneum. Complures reponebant, necesse esse eum sumi archiepiscopum, qui pecunias liberaliter erogaret, confirmantes, pecunias cathedræ non defuturas. Tandem decretum est, ut episcopus Eirikus designaretur, qui eadem æstate peregre abiit. Rex Sverrer cum copiis orientem versus in Vikam profectus est, in quo itinere unam navem amisit, quæ ante Agdas in scopulum velis delata naufragium passa erat. Rex incensis naufragii reliquiis, cursum continuavit. Kuflungi Tunsbergi versabantur, magnam

[1]) ante, F.

habentes copiarum multitudinem, parvam vero facultatem navium. Cum rex Sverrer oppido adpropinquaret, Kuflungi, adventu ejus per exploratores cognito, naves suas ad Rafnabjarga transportarunt. Habebant classem sedecim[1] navium. Ut vero rex Sverrer advenit, naves suas ad insulam ad Smjorborgam[2] appulit, quinque naves ad oppidum remis actas pontibus applicuit; habebat classem navium[3] triginta. Hic tres noctes commorati sunt; neque vero rex escensionem facere ausus est, quod Kuflungi magnum militum numerum in rupe disposuerant; quare regi minus consultum visum est, naves suas ingentibus saxis, si desuper ingererentur, objicere. Neque Kuflungi regem adoriri sunt ausi; quarta[4] vero nocte pontibus, ubi Birkibeini cum quinque navibus stabant, naves silentio admoverunt, tantis tenebris, ut neutri alteros conspicerent, prius quam naves concurrerent, actæque in stantes irruerent. Hic extemplo prælium ortum. Rex vero Sverrer, animadvertens eos inter se confligere, cum suos laborare existimaret, naves quam vehementissime in hostes proripuit; quarum incursum cum Kuflungi exspectare nollent, in terram egressi sunt, multis utrinque prostratis. Kuflungi terrestri itinere septemtrionem versus in emporium profecti, eo paulo ante festum Michaelis pervenerunt. Aderat in oppido Ivar Clementis filius cum octoginta viris[5]; tum omnis multitudo, quæ in oppido aderat, tam militum quam oppidanorum, classico in arcem arcis defendendæ causa excita. Kuflungi, nongentos sexaginta milites habentes, arcem vehementer oppugnarunt,

[1]) tredecim, *B.* [2]) Smjorbjarga, *B, F;* Smjorbergum, *G.* [3]) amplius, *add. B, G, F.* [4]) *sic F, G;* tertia, *A, B.* [5]) sociis navalibus, *G.*

oppidanis defendentibus. Pugnatum acriter, neque diu; nam Kuflungi arcem ligneam excidendo aperuerunt, cumque intrassent, oppidani aufugerunt. Hic cecidit Ivar Clementis filius et plurima suorum pars, Kuflungi autem oppido potiti sunt. Post hæc comitia in Eyris habita, Jonique regium nomen a Bjorne Erlingi filio datum. Thorstein Kugadus arcem Sionem custodiebat, erat etiam intra arcem copia militum, ut ad defensionem nihil deesset. Kuflungi ad arcem ascenderunt, conjectisque invicem telis, nihil efficere potuerunt. Quo intellecto, Nicolaum Sultanem, regis Sverreris avunculum, ex æde Christi extractum ad arcem deportarunt, erectaque cruce, eum ibi se suspensuros minati: tu, Thorstein, inquiunt, vosque, oppidani, hujus rei auctores estis; nam, si dedere arcem velitis, Nicolao vobisque omnibus pax concedetur; sin minus, Nicolao vita stabit, eamque ob causam rex Sverrer vos suspendet, et merito quidem; idem vobis a nobis exspectandum, ut primum occasio se obtulerit. Jam Thorstein, metu perculsus, quod existimabat eos vera dicere, Nicolao suspenso, sibi ab utrisvis iniquas conditiones exspectandas, arcem dedere decrevit. Kuflungi Thorsteini omnibusque fortunis suis pacem et securitatem concesserunt; omnibus quoque oppidanis vitæ membrorumque gratia facta, horum autem bona Kuflungi occuparunt, arcemque totam incenderunt et diruerunt. Hoc loco multis cimeliis regis Sverreris potiti sunt; magnaque reversis in oppidum præda cessit. Magnum stipendium oppido imposuerunt, alioquin se minati oppidum incensuros, pœnamque de oppidanis sumturos, quod collecto exercitu sibi restitissent; oppidani stipendium dependere præoptabant. Kuflungi brevi eo loco commorati, naves sibi com-

pararunt, haud sane dissvadentibus oppidanis, qui abeuntibus bene precati, eos improspera uti navigatione percuperent. Jam Kuflungi celoces magna festinatione apparabant, quibus paratis rumor oppidum pervadebat, agmen aliquod a locis exterioribus Gaularasum præterire, et erant, qui regem Sverrerem adventare opinarentur. Quo rumore audito Kuflungi decurrunt ad naves, tentoria deripiunt, remos impellunt, naves ex amne remigio concitatissimo propellunt, oppidanis nunquam ut reverterentur precantibus. Kuflungi per sinum enavigarunt, et quæcunque loca adirent, rapinis grassabantur, onerarias naves, sicubi deprehenderent, diripiebant. Unam navem mercatoriam Islandicam, Stangarfolium dictam, quæ rejecta fuerat, ceperunt, omnesque pecunias, quæ in ea erant, rapuerunt. Quibus confectis meridiem versus Bergas profecti sunt, eoque paulo ante festum jolense pervenerunt.

Cædes Jonis Kuflungi.

109. Kuflungi conventum in oppido habuerunt, et stipendium in convivium jolense ab oppidanis exegerunt, altera proposita conditione, se totum oppidum direpturos et inflammaturos. Oppidanis stipendium detrectantibus spatiumque petentibus, Kuflungi ultima quæque vicissim minati sunt; atque sic ea res aliquamdiu mansit. Paulo ante festum jolense mane quodam accidit albescente cœlo, ut duodecim[1] naves longæ, a meridie vectæ, a Hvarvsneso ad oppidum navigarent. Qvod animadvertentes Kuflungi ad arma cucurrerunt, plerique vero ex oppido per superiora in montem, aut interiora versus præter ædem Olavi contenderunt. Jon Kuflungus, copiis ad naves tuba evocatis, ipse cum cohorte sua navem ascendit, et in sinum obviam prove-

[1]) quatuordecim, *G*; tredecim, *B*.

nota si non invenietur, certum est, meum non esse filium; si invenietur, non dissimulabo. Deinde jussu regis Petrus eo, ubi funus erat, ductus, calceo caligaque detractis, se notam, quæ in filio suo fuisset, agnoscere testatus est. Rex Sverrer oppidanis suisque militibus palam fecit, Jonem illum, quem Kuflungi regem suum appellassent, vocari Ormum, Petri Astridæque filium, prætereaque, Petrum ipsum eo loco adesse, corpus filii sui agnoscentem: et vobis, oppidani, inquit, notum haud dubie est, ecquo jure generis Petrus et Astrida postulare queant, ut filius eorum rex Norvegiæ esset; unde apparet, quas fraudes mala ista prædatorum factio venditarit. Post hæc funus Jonis Kuflungi in æde Mariæ humatum est. Tum primum rex Sverrer ejusque milites ita Bergas advenerunt, ut universo populo exoptati adessent. Post hæc rex Sverrer Norvegiæ solus imperavit; ille aliquantum temporis Bergis se continebat.

De Sigurdo Brennere.

110. In locis silvestribus ad orientem factio erat, qvæ in Vikam irrumpens multa ibi maleficia patraverat, homines interfecerat, quosdam diripuerat, aliorum bona inflammarat; cui factioni præerat vir, nominatus Sigurdus Brenner, filius regis Ingii Haraldi filii. Sigurdus Brenner Jonem Kuflungum convenerat, qui eum pro consangvineo agnitum ad se invitaverat; Sigurdus vero rem Kuflungianam dedignatus, suaque rerum civilium et aulicarum administrandarum peritia, prudentia, et qua valeret gratia melius confisus, his omnibus opus esse dixit adversus consilia sacerdotis Sverreris: se consangvinitatem cum Sverrere ordinesque quibus esset initiatus ecclesiasticos, si congrederentur, parvi æstimaturum: videri sibi illum suos cognatos ita tractare. Quam

ctus est. Ut vero nullas advenire copias viderunt, cursum ad pontem monachorum, et propius ad oram ulteriorem convertentes, navem in scopulum propulerunt, cui affixa hærebat. Navibus Birkibeinorum eodem momento advolantibus, Kuflungi in mare se præcipitarunt et terræ adnarunt, quidam interierunt. Jon Kuflungus e navi non desiliit, adventumque Birkibeinorum intra navem exspectans, eo loco occubuit, itemque alter vir; quorum corpora Birkibeini vestibus spoliarunt. Quibus rebus cognitis rex Sverrer corpora ad oppidum transferri et ad ædem Mariæ deportata deponi ad parietem meridianum pannoque crassiori velari jussit. Kuflungi e monte decurrentes, in locis interioribus ad ædem Olavi aciem instruxerunt, Birkibeinosque inclamantes ad pugnam provocarunt. Rex vero suos, ne quid negotii cum eis agitarent, vetuit: haud dimicabimus, inquit, cum hominibus duce carentibus; significate eis, principem eorum hoc loco ad ædem Mariæ jacere, quem, quamvis boni principis munia non explevisset curaque diligentiori indignus esset, tamen turpiter deseruerunt. Kuflungi, incursionem in oppidum per exteriora facere non ausi, nullo facto prælio, abscesserunt. Erat in oppido vir, nomine Petrus, quo patre natum, Astrida vero matre genitum, Ormum quendam Birkibeini adseruerunt, dicentes, hunc eundem Ormum a Kuflungis appellatum esse regem Jonem Ingii filium, eundemque tunc eo loco ad ædem Mariæ jacere. Itaque Petrum rogarunt, ut accederet, filiumque suum agnosceret, notis quibusdam, priusquam funus inspexisset, præsignificatis. Petrus tale signum edidit: si est Ormus, filius meus, insignis est vestigio gravis sub planta dextri pedis vulneris, quod puer in falcem incurrens acceperat. Quæ

nota si non invenietur, certum est, meum non esse filium; si invenietur, non dissimulabo. Deinde jussu regis Petrus eo, ubi funus erat, ductus, calceo caligaque detractis, se notam, quæ in filio suo fuisset, agnoscere testatus est. Rex Sverrer oppidanis suisque militibus palam fecit, Jonem illum, quem Kuflungi regem suum appellassent, vocari Ormum, Petri Astridæque filium, prætereaque, Petrum ipsum eo loco adesse, corpus filii sui agnoscentem: et vobis, oppidani, inquit, notum haud dubie est, ecquo jure generis Petrus et Astrida postulare queant, ut filius eorum rex Norvegiæ esset; unde apparet, quas fraudes mala ista prædatorum factio venditarit. Post hæc funus Jonis Kuflungi in æde Mariæ humatum est. Tum primum rex Sverrer ejusque milites ita Bergas advenerunt, ut universo populo exoptati adessent. Post hæc rex Sverrer Norvegiæ solus imperavit; ille aliquantum temporis Bergis se continebat.

De Sigurdo Brennere.

110. In locis silvestribus ad orientem factio erat, qvæ in Vikam irrumpens multa ibi maleficia patraverat, homines interfecerat, quosdam diripuerat, aliorum bona inflammarat; cui factioni præerat vir, nominatus Sigurdus Brenner, filius regis Ingii Haraldi filii. Sigurdus Brenner Jonem Kuflungum convenerat, qui eum pro consangvineo agnitum ad se invitaverat; Sigurdus vero rem Kuflungianam dedignatus, suaque rerum civilium et aulicarum administrandarum peritia, prudentia, et qua valeret gratia melius confisus, his omnibus opus esse dixit adversus consilia sacerdotis Sverreris: se consangvinitatem cum Sverrere ordinesque quibus esset initiatus ecclesiasticos, si congrederentur, parvi æstimaturum: videri sibi illum suos cognatos ita tractare. Quam

ob rem solus factionem ducere maluit. Aliquantum temporis milites habuit trecentos sexaginta, qui, quas in partes venissent, ingentes turbas excitarunt. Post cædem Kuflungi, procedente eadem æstate, coloni cum aliquot militibus evocatis Sigurdum Brennerem aggressi sunt, domoque, in qua se continebat, milite circumdata, ipsum in cubiculo oppugnarunt, suis se fortiter ac strenue tutantibus. Cum vero plerique, qui intus erant, cecidissent, Sigurdus oppugnatores inclamans rogavit, ut aures dicturo præberent, silentiumque nactus, sic locutus est: vero jam est simillimum, vos negotium, cujus causa huc venistis, ex sententia peracturos; et vos haud dubie regi Sverreri aliisque proceribus hanc victoriam, quam hoc loco reportastis, prostrato hujus factionis principe, Sigurdo Brennere, regis Ingii filio, narraturi estis. At vero, si me prostraveritis, haud vos rem tam memoria dignam, quam putatis, geretis, nam, ut verum vobis fatear, Hedin vocor, natus[1] Thorgrimo Rossio, tam paterno quam materno genere Islandus. His dictis, telis missis eum prostraverunt; cujus viri fortitudo vulgo magnopere laudata est.

Nicolaus episcopus inauguratus.

111. Æstate post cædem Kuflungi archiepicopus Eirikus in Norvegiam rediit, pallium Romæ adeptus, et boream versus Nidarosum, sedem archiepiscopalem, se contulit. Eadem æstate obiit Havardus dynastæ filius. Omnium sententiæ eo spectabant, ut Nicolaus Arnii filius Stodreimensis[2], frater regis, episcopus Stavangriæ eligeretur, contra dicente rege Sverrere. Quod animadvertens Nicolaus, literas reginæ Margaretæ misit, in quibus multa speciose et demisse in regem Sverrerem scripserat, item in

[1]) sacerdote, *add F, G.* [2]) Stodreinensis, *F*; Vestreinensis, *G.*

ipsam, cum qua intercedentem sibi cognationis necessitudinem recensuerat. Itaque regina Margareta de hac re cum rege Sverrere agere cœpit, Nicolai pulcra promissa ostendens. Rex vero invitum se facere dixit, ut eum ampliori, quam esset, loco dignitatis poneret, sibi vero simile esse, si quam majorem auctoritatem, quam antea habuisset, in Norvegia consequeretur, eodem in se animo futurum, neque, si ampliori titulo, quam tum esset, uteretur, quicquam ei fidelitatis accessurum. Regina oravit, ne se adversum præberet; ostendit, quantum damni Nicolaus fecisset, amissis cognatis suis, ipso adversus regem Magnum contendente, quod damnum ita facillime posse reparari, si principum virorum in patria ordini adscriberetur: si arma posuisset, ordineque sacro initiatus esset, nullam perfidiam ostensurum. Rex, ei se hoc tributurum, pollicitus: opinor autem, inquit, non diu fore, cum te multosque alios hujus pœniteat. Post hæc impetratæ regiæ literæ, quæ Nicolaum episcopum inaugurari juberent; dein factum, ut archiepiscopus Nicolaum episcopum inauguraret. Circa id tempus episcopo Osloensi mortuo, Nicolaus ab archiepiscopo veniam impetravit cathedræ Osloensis adeundæ. Tum Njal episcopus Stavangriensis inauguratus est, qui eo loco episcopus fuit.

Dissidia inter regem et archiepiscopum.

112. Archiepiscopus Eirikus, cum ad cathedram Nidarosiensem accessisset, ab canonicis liberaliter exceptus est. Deinde ex choro concionatus, gravius in Birkibeinos invectus est; et statim multi ex militibus erant, qui eam orationem odio habere, seque in ipsum asperos præbere inceperunt. Multa brevi dissidia inter regem Sverrerem et archiepiscopum extiterunt.

Nam quod archiepiscopus Eystein colonis obtruserat, ut, sicubi multæ archiepiscopo deberentur, eæ pensiones unciis argentariis notatis[1] explicarentur, cum antea pecunia multatitia eodem modo quo in pensionibus regi debitis soluta fuisset, eam rem rex Magnus et Erlingus dynasta, quoad rempublicam administrarant, integram reliquerant. Scilicet Erlingus dynasta hanc rationem probaverat, eo quod filium Magnum ab archiepiscopo inaugurari regem voluerat. Sed hoc modo pretium unciarum duplo majus redditur. Rex Sverrer ab archiepiscopo postulavit, ut priscarum legum præscripta, non minus in causis ad archiepiscopum, quam ad regem pertinentibus, integra manerent; ostendit, Erlingi Skakkii non fuisse, leges regis Olavi sancti violare, ut filius suus sine ullo juris titulo rex inaugurаretur, nunquam enim in Norvegia, ex quo christiana religio introducta sit, nev in ethnicismo quidem, accidisse, ut is rex crearetur, qui regis filius non fuisset; idem quoque legibus civilibus ab rege Olavo sancto latis prohibitum esse. Hoc pactum conventum erat inter archiepiscopum Eysteinem et Erlingum dynastam, inquit rex Sverrer, ut archiepiscopus filium ejus regem inauguraret, Erlingus vero dynasta archiepiscopo veniam permitteret, quævis legibus contraria, quæ auctoritate sua obtrudere colonis potuisset, irrogandi. Quod neque divinis, neque civilibus hujus terræ legibus consentaneum fuisse, mihi quidem videtur. Aliter, si tu, episcope, reditus tuos tantopere augere cupis, postulo, ut mihi veniam permittas, regios reditus tantundem augendi, tuque deo, colonis

[1]) Tales unciæ alias dicuntur *æstimatæ*, quasi quibus certum pretium ex condicto additum fuerit; talis enim uncia duodecim panni vulgaris ulnarum pretium æquabat, cum unciæ regulares sex ulnas valerent.

et civibus præstes, quam juste geratur hac in terra rei publicæ administratio. Negavit archiepiscopus, suumque jus postulavit, dicens oportere, jura divina semper augeri, nunquam deminui: tu vero, domine, inquit, qui jura habeas legesque, quas observaturum te jurasti, Deo hominibusque præstes, an id jusjurandum serves; nunquam enim pretium unciarum in jure regio auctum fuit.

Eirikus dynastæ titulo donatus.

113. Post obitum Magni regis Eirikus regis filius petiit a rege Sverrere fratre suo, ut sibi majores honoris titulos, quam tum haberet, insuperque aliquam regni partem concederet. Rex eum intra aulam versari, cohortemque more præfectorum suo sumtu alere, ceterosque honoribus antecellere jussit, regni partitionem detrectans. Quæ etsi Eiriko minus bene probarentur, tamen res eo loco aliquamdiu mansit. Numerosam cohortem suo sumtu sustentavit, qua sustentanda, cum parvos reditus haberet, inopia pecuniæ laborare cœpit. Itaque una hieme elapsa expeditionem in regiones orientales suscepit, paganas terras prædandi causa aditurus. In hujus expeditionis societatem magnus militum numerus deligebatur; quinque naves habuerunt, quarum uni præfuit Ozur sacerdos, alteri Thjodolvus Pika[1], tertiæ Hermundus Kvoda. Insequenti æstate in regiones orientales profecti, Estoniam adierunt, ibique loco Pikis[2] dicto piraticam fecerunt, magnaque præda[3] potiti in Gotlandiam[4] reversi sunt. Hic, dissensione cum Saxonibus orta, duas naves mercatorias grandiores expugnarunt, immensaque præda potiti sunt. Inde in Sveciam profecti, regem Knutum convenerunt,

[1]) *sic cæteri;* Vika, *A.* [2]) *sic G, F;* Vikis, *A;* et Tunta, *add. B.* [3]) loco Kvimis dicto, *add. F.* [4]) Gothiam, *B.*

Nam quod archiepiscopus Eystein colonis obtruserat, ut, sicubi multæ archiepiscopo deberentur, eæ pensiones unciis argentariis notatis[1] explicarentur, cum antea pecunia multatitia eodem modo quo in pensionibus regi debitis soluta fuisset, eam rem rex Magnus et Erlingus dynasta, quoad rempublicam administrarant, integram reliquerant. Scilicet Erlingus dynasta hanc rationem probaverat, eo quod filium Magnum ab archiepiscopo inaugurari regem voluerat. Sed hoc modo pretium unciarum duplo majus redditur. Rex Sverrer ab archiepiscopo postulavit, ut priscarum legum præscripta, non minus in causis ad archiepiscopum, quam ad regem pertinentibus, integra manerent; ostendit, Erlingi Skakkii non fuisse, leges regis Olavi sancti violare, ut filius suus sine ullo juris titulo rex inauguraretur, nunquam enim in Norvegia, ex quo christiana religio introducta sit, nev in ethnicismo quidem, accidisse, ut is rex crearetur, qui regis filius non fuisset; idem quoque legibus civilibus ab rege Olavo sancto latis prohibitum esse. Hoc pactum conventum erat inter archiepiscopum Eysteinem et Erlingum dynastam, inquit rex Sverrer, ut archiepiscopus filium ejus regem inauguraret, Erlingus vero dynasta archiepiscopo veniam permitteret, quævis legibus contraria, quæ auctoritate sua obtrudere colonis potuisset, irrogandi. Quod neque divinis, neque civilibus hujus terræ legibus consentaneum fuisse, mihi quidem videtur. Aliter, si tu, episcope, reditus tuos tantopere augere cupis, postulo, ut mihi veniam permittas, regios reditus tantundem augendi, tuque deo, colonis

---

[1]) Tales unciæ alias dicuntur *æstimatæ*, quasi quibus certum pretium ex condicto additum fuerit; talis enim uncia duodecim panni vulgaris ulnarum pretium æquabat, cum unciæ regulares sex ulnas valerent.

et civibus præstes, quam juste geratur hac in terra rei publicæ administratio. Negavit archiepiscopus, suumque jus postulavit, dicens oportere, jura divina semper augeri, nunquam deminui: tu vero, domine, inquit, qui jura habeas legesque, quas observaturum te jurasti, Deo hominibusque præstes, an id jusjurandum serves; nunquam enim pretium unciarum in jure regio auctum fuit.

Eirikus dynastæ titulo donatus.

113. Post obitum Magni regis Eirikus regis filius petiit a rege Sverrere fratre suo, ut sibi majores honoris titulos, quam tum haberet, insuperque aliquam regni partem concederet. Rex eum intra aulam versari, cohortemque more præfectorum suo sumtu alere, ceterosque honoribus antecellere jussit, regni partitionem detrectans. Quæ etsi Eiriko minus bene probarentur, tamen res eo loco aliquamdiu mansit. Numerosam cohortem suo sumtu sustentavit, qua sustentanda, cum parvos reditus haberet, inopia pecuniæ laborare cœpit. Itaque una hieme elapsa expeditionem in regiones orientales suscepit, paganas terras prædandi causa aditurus. In hujus expeditionis societatem magnus militum numerus deligebatur; quinque naves habuerunt, quarum uni præfuit Ozur sacerdos, alteri Thjodolvus Pika[1], tertiæ Hermundus Kvoda. Insequenti æstate in regiones orientales profecti, Estoniam adierunt, ibique loco Pikis[2] dicto piraticam fecerunt, magnaque præda[3] potiti in Gotlandiam[4] reversi sunt. Hic, dissensione cum Saxonibus orta, duas naves mercatorias grandiores expugnarunt, immensaque præda potiti sunt. Inde in Sveciam profecti, regem Knutum convenerunt,

[1]) *sic cæteri;* Vika, *A.* [2]) *sic G, F;* Vikis, *A;* et Tunta, *add. B.* [3]) loco Kvimis dicto, *add. F.* [4]) Gothiam, *B.*

apud quem lautissime habiti versabantur; is Eiriko digredienti navem longam dedit. Eirikus ac sui, per Sveciam et Daniam iter facientes, licentius grassantes multa hostilia fecerunt. Autumno reversi sunt, tumque undecim naves habuerunt[1]. Tum[2] rex Sverrer, in Vika se continens, partem regni cum Eiriko fratre suo communicavit, eique provinciam dedit, inde a Svinasundo in parte regni orientali et boream versus usque ad Rygjarbitum, prætereaque tota Uplanda; insuperque eum dynastæ titulo ornavit. Post hæc Eirikus aulicos sibi adscivit, excellentissimusque princeps evasit. Uxori ejus nomen erat Asa.

Cædes Simonis Karii filii.

114. Simon Karii filius, Olver de Godranno, centurionesque qui Kuflungorum castra secuti fuerant, meridiem versus in Daniam profecti sunt; pars orientem versus in Markas recesserunt, ibique proxima post æstate commorati, procedente hieme proxime insequenti in Daniam transierunt, ibique Simonem Karii filium invenerunt. Hic illuc secum adduxerat filium regis Magni Erlingidæ, Vikarem nominatum. Eo loco factionem instaurarunt, magnumque hominum numerum nacti sunt; proxime insequenti æstate boream versus in Vikam trajecerunt, sedecim[3] naves ducentes: turbulentius grassabantur, colonos et mercatores diripientes, eoque facto ab oriente navigantes Vikam prætervecti sunt[4]. Quibus rebus cognitis, Tunsbergiani, qui aliquot

---

[1]) eodem autumno factio Kuflungorum in Vika instaurata est, *add. B, F.* [2]) Autumno, a Rafnabjargis nomen sortito, *B, F, G,* confer cap. 108. [3]) tredecim, *B.* [4]) Sinu Foldensi trajecto boream versus in Agdas se converterunt, ibique prædis actis, interiora versus Tunsbergum contenderunt. Eirikus dynasta in mediterraneis se continebat, paucique Birkibeini in Vika versabantur, *add. B.*

naves longas et onerarias habuerunt, ad rem maritimam confugientes, naves pontibus applicuerunt, multitudinem in naves dispertierunt, oppidumque defendere instituerunt. Hæc factio, quam Simoniani excitarant, Varbelgi appellata. Simon, cognito, quid agerent Tunsbergiani, multitudinemque ab eis contrahi, eo se convertere non ausus, orientem versus per sinum Foldensem renavigavit. Quo cognito Tunsbergiani in naves irruunt, eosque insequuntur, classi præfectis Thorlako Ulvgesti, Ulvo Nigro, Asleivo colono. Recedentes orientem versus Simonianos Tunsbergiani insequentes ad Bridsteinem[1] in meridianis partibus deprehenderunt, statimque eos aggressi sunt; pugnatum est vehementer et acriter; coloni naves majores et altioribus lateribus habebant. Quod prælium cum aliquamdiu duravisset, strage in Varbelgos versa, naves eorum defensoribus nudatæ sunt; eo tandem certaminis exitu, ut Simon Karii filius, Olver de Godranno et pleraque militum pars, paucis evadentibus, caderet. Eadem navi, cui Simon Karii filius præfuerat, sub foris interscalmii anterioris Vikarem, regem Varbelgorum, invenerunt; quem, paucos annos natum, confestim interfecerunt. Qua expeditione Tunsbergiani magnam gloriam consecuti, ingenti præda parta, reversi sunt.

Obitus Eiriki dynastæ.

115. Eodem anno, quo Varbelgi oppressi sunt, Eirikus dynasta Tunsbergi versans morbum nactus est, quo ingravescente in monasterium secessit habitumque monachicum sumsit; cumque quinque noctes æger jacuisset, mortuus est. Eodem die Asa uxor ejus obiit, duabusque post noctibus filius eorum, nomine Magnus,

[1]) Bristeinem, *G*; Brimsteinem, *F*.

exstinctus est. De quibus eventis multa sunt disputata, multis affirmantibus, eos haud dubie a malis hominibus veneno necatos. Post hæc rex Sverrer provinciam ab Eiriko administratam sibi subjecit, eique præfectos imposuit. Proxime ab his Ivar Selkius obiit.

Initia Thorleivi Breidskeggi.

116. Eadem æstate, qua Eirikus dynasta obierat, in Markis ad orientem factio extitit, cui præfuit vir, dictus Thorleivus Breidskeggus, qui filius regis Eysteinis Haraldidæ vulgo putabatur, eo argumento, quod inter scapulas ejus cicatrix, quæ in formam crucis coierat, conspiciebatur. In Vikam delati, pacate iter faciebant, cibaria aliasque res necessarias coemebant. Thorleivus Breidskeggus monachus fuerat. Quæ factio, cum parum opibus valeret, pecuniæ inopia brevi laborare cœpit; fuereque nonnulli, qui, cum prædas agere vetitum esset, furarentur. Multi se ex aliis audisse dictitabant, Thorleivum adeo prudentem esse, ut nulla res ei necopinanti accidere posset; tam bene moratum, ut ejus vivendi ratio monachorum, quam laicorum, similior esset; ore tam diserto tamque blandiloquum, ut nemo sermonem ejus audiens succensere posset; quæ omnia falsa vanaque esse, experientia postea docuit. Hieme proxime insequenti hæc factio in Markis se continebat. Sequenti æstate coloni eos aggressi sunt, quo loco noctu in silva quadam delitescebant. Tum cognitum est, Breidskeggum neque hostium adventum prænovisse, neque quidquam loqui, quo saluti ejus magis, quam antea, consuleretur. Eo enim loco cum plurima comitum parte interfectus est, nonnullis in silvam cursu effugientibus. Post cædem Breidskeggi sanctitas ei falso adscripta est; cui Blakkus poeta contra dicens, hoc versus composuit:

Dicunt lucidas candelas super
sepulcro Breidskeggi ardere;
immo compertum mihi est,
principem eorum luce carere.
Scimus, meliores, quam hanc, opiniones
vanas esse; id quod animadvertimus[1].

Blakkus carmen funebre in Breidskeggum composuit, cujus stropha intercalaris talis erat:

Fuit Breidskeggo, dum hoc in mundo
vixit, utrumque, et minimum boni
et arrogantiæ plurimum. Nunc
pacis turbator prostratus est[2].

De dissidiis, regem et archiepiscopum intercedentibus.

117. Hoc tempore multa inter regem Sverrerem et archiepiscopum dissidia extiterunt. Rex semper suam causam ad leges civiles ab rege Olavo sancto latas, et ad codicem legum Thrandorum, dictum Gragasam, quem rex Magnus Bonus Olavi filius conscribendum curaverat, rejecit. Archiepiscopus produci jussit librum, dictum Pennam Auream, quem archiepiscopus Eystein conscribendum curarat; præterea protulit jus divinum Romanum, et constitutiones quasdam literis et sigillo Papæ confirmatas. Una inter eos dissensionis causa erat, quod priscis legibus et consvetudine sancitum erat, ut rex et coloni ædes sacras in prædiis suis proprio, si vellent, sumtu faciendas curarent, hasque ipsi procurarent et sacerdotes conducerent; archiepiscopus vero, ut primum quæque ædes consecrata erat,

---

[1]) Constructio: (menn) *kveða björt kerti brenna yfir leiði Breiðskeggs; ek veit, at höfðingi þeirra mun meirr missa ljóss. Vitum, at betri vánir því brugðust, vèr hugðumk.* [2]) Constructio: *Breiðskeggi hafði hvárttveggja, meðan lifði hèr, fæst gott og hæsta dul. Nú er friðspillir fallinn.*

omnesque, in quibus cultum divinum celebrari permisisset, suæ potestati et tutelæ subjecit. Rex, negante archiepiscopo, postulavit, ut ea res ex legum præscripto decideretur. Tum rex codicem legum in comitiis recitandum curavit, in quo codice scriptum erat, ut archiepiscopus provinciam suam triginta viris comitatus obiret, decemque clypeos, omnes albos, haberet. Ea de re legum fieri judicium rex Sverrer postulavit, dicens: cum archiepiscopo nihil opus sit aulicis aut militibus aut nave clypeis circumvallata, tantopere modum a legibus præscriptum transcendit, ut phaselum ducat viginti transtrorum, nonaginta viris clypeatis aut amplius instructum. Nos Birkibeini probe memoria tenemus, quam fortibus defensoribus navis, ab archiepiscopo adversus nos ad Hattarhamarem missa, instructa nobis visa sit. Idem Bergis accidit, quando naves cepimus; tum navis archiepiscopi ejusque cohors promtior erat ad arma adversus nos ferenda, quam cohors regia. Legibus divinis convenientius existimo, archiepiscopum nullos contra legum civilium præscripta aulicos habere, nulla enim in ipsum aut sedem cathedralem vis belli erumpet; potius in id sumtum impendat, ut homines in lapidibus excidendis aut comportandis aut fingendis occupet, templumque ex veteri instituto sartum tectumque conservet. Archiepiscopus his reposuit: pontifex Romanus me huic sedi cathedrali hujusque sedis bonis procuratorem præfecit; itaque horum bonorum, quæ Deo sanctisque hominibus sacra sunt, administrandorum potestas penes me est. Id autem verum esse opinor, domine, plerosque frugi homines satius ducere, mecum in pace, quam tecum inter tumultus et maleficia versari; nunc enim paucis quietam agere vitam licet. Quæ

autem mei gestant arma vestesque pretiosas, ipsis peculiaria sunt, ne uno quidem numulo rapto conciliata; iidem, quocunque veniant, pacate se gerunt. At vero non honestum judicabitur, si fama ad exteros manaverit, in archiepiscopi non esse potestate, cui cibaria vestesque det; cum tui præfecti, quos a mendicitate retraxisti, quantas velint cohortes habeant, colonos aggrediantur, cibumque et cerevisiam per vim impune extorqueant, ipseque possessor satis habere cogatur, se reliquis non spoliari. Tum rex Sverrer postulavit, ut res lege decideretur, colonique sententias dicerent et secundum leges civiles judicarent, quot domesticos stipatores archiepiscopo habere liceret. Quo facto rex, quinque dierum spatio dato, edixit, ut, si qui cum archiepiscopo versarentur supra numerum in codice præscriptum, post quintum diem in exilium irent, fortunis ac securitate multandi, quoque loco deprehensi essent, impune occidendi. Quo cognito archiepiscopus magna festinatione iter ex oppido comparavit, suis omnibus abductis, quasque nancisci poterat pecuniis secum sublatis. Relicto oppido, meridiem versus Bergas, indeque in Daniam ad archiepiscopum Absalonem se contulit, a quo liberaliter exceptus, ibi diu commoratus est, benigne habitus. Archiepiscopus Eirikus eo morbi genere implicitus est, ut oculorum lumina amitteret, cæcusque fieret.

De Sigurdo regis filio.

118. Halkel, filius Jonis Halkelidæ, in matrimonio habuit Ragnildam, filiam Erlingi dynastæ et Kristinæ regis filiæ. Is cum pluribus consortibus conspirationem fecit, cum paulo antea præfectura præfectique dignitate et privilegiis ab rege Sverrere ornatus fuisset. Sigurdus nomen erat filio Erlingi dynastæ, ex pellice suscepto, qui

eo tempore ab rege Sverrere educabatur, diuque fuerat cum eo versatus, liberaliter habitus; is unacum Halkele et Ragnilda hujus consilii conscius erat. Inter principes ejusdem conjurationis erat Olavus, affinis Haraldi dynastæ. Sigurdus nomen erat filio regis Magni Erlingidæ et Gyridæ, filiæ Aslaki juvenis: is tum in tutelam et patrocinium Halkelis et Ragnildæ receptus erat. Eam consilii rationem inierunt, ut Sigurdum regis filium Olavo dynastæ affini traderent; quem ille secum Bergas abduxit, crebraque cum rege Sverrere colloquia, ut omni suspicione careret, habuit. Aliquo vero tempore, cum navis Olavi parata esset, rex Sverrer, postquam cum Olavo collocutus fuerat: te mihi nunc præstare fidem, Olave, oportet. Ille: qui ita loqueris, domine? Rex, cultrum, quem manu forte tenebat, prætendens: genii inimicorum nostrorum, inquit, hic nunc prope circumvagantur. Olavus, cubiculo egrediens, puero regis filio forte accurrenti: jam prope a periculo abfuimus, alumne, inquit. Autumno proxime insequenti Olavus occidentem versus in Hjaltlandiam, ubi ingentes possessiones habebat, proficiscens, puerum secum abduxit. Tum octo hiemes ab obitu Magni regis elapsæ erant.

De Olavo et Sigurdo.

119. Proxime insequenti vere Olavus et Sigurdus meridiem versus in Orcades ad Haraldum dynastam profecti, et ab eo bene excepti sunt. Eodem vere Halkel Jonis filius profectionem paravit, seque occidentem versus piraticæ faciendæ causa excursurum simulavit; navem longam habuit bene instructam, qua occidentem versus in Orcades navigavit. Ut vero Olavum dynastæ affinem convenerat, Haraldo dynastæ significarunt, advenisse eo regis Magni filium, orantes, ut ei aliquod auxilium ferret. Dynasta

causam ejus benigne recepit, eique navem longam eximiam dedit (fuerat enim rex Magnus Haraldo dynastæ amicissimus), et unicuique qui vellet potestatem fecit ad Halkelem et Olavum horumque socios transeundi. Tum Halkel et Olavus Sigurdo regium nomen dederunt; cujus se multi ministeriis addixerunt et in verba ejus jurarunt, magno numero Orcadensium et Hjaltlandorum ad eum confluente. Dein navibus comparatis, æstate proxime insequenti iter ab occidente apparatunt. Ut Norvegiam attigerant, statim orientem versus secundum terram navigarunt, cursumque maxima celeritate contenderunt, et Tunsbergum omnibus insperantibus pervenerunt; hic aderat Jon, consobrinus regis Sverreris. Hoc loco Jonem et Helgium Bringum, regis Sverreris quondam signiferum, interfecerunt; ibidem multi Birkibeinorum ceciderunt. Post hæc habitis comitiis, Sigurdus rex creatus est. Hæc factio Insulani appellata. Inde cum Osloam penetrassent, omnes incolæ, et quascunque Vikæ partes adissent, eis se subjecerunt. Pacate iter faciebant, et sua cuique concedebant; quod vero magnum habebant numerum copiarum, nullam autem regni partem in potestatem redegerant, pecuniæ inopia laborare cœperunt. Itaque id capiunt consilii, ut omnes copias meridiem versus in Daniam converterent et in Trafnam usque proficiscerentur. Hic navi mercatoria expugnata, immensa pecuniæ summa, maxima quidem vestium copia, magna auri argentique, potiti sunt. Appetente autumno in Norvegiam reverterunt. Rex Sverrer in Thrandheimo agens, fama de hac factione ad eum perlata, magnum militum numerum in Vikam misit superiori itinere, aliquot principibus jam in Vika se continentibus. Qui cum cognovissent, Insulanos a

meridie in Vikam contendere, Birkibeini Borgæ convenerunt, ex quibus hi principes erant: Sigurdus Lavardus regis filius, Philippus filius Birgeris dynastæ, Hakon Galinus, regis Sverreris ex sorore nepos, Petrus Steyper, Hjarrandius Hvida, pluresque alii centuriones. Hi milites [amplius ducentos quadraginta[1] habebant. Quo cognito Insulani Albim (Romorum) ingressi, ad campos Borgæos naves appulerunt, eoque loco escensione facta copias instruxerunt. Birkibeini autem, cum animadvertissent, quantum copiarum numerum Insulani haberent, fugam capessiverunt, quos insecuti Insulani aliquot eorum interfecerunt. Birkibeinis in mediterranea refugientibus, ex eo tempore nemo in Vika erat, qui Insulanis resisteret; autumnoqve procedente boream versus Bergas profecti, ibi hiemem transegerunt, totiusque regni vectigalia et mercedes ex prædiis meridiana Stadi parte occuparunt. Gulbeinos se appellari voluerunt.

Prælium regis Sverreris cum Insulanis.

120. Rex Sverrer arcem Bergis in rupe supra ædes episcopi ædificandam curaverat, quam Birkibeini per hanc hiemem magna copia tenuerunt, præfecto Sigurdo Borgarkletto. Hanc Insulani crebro oppugnantes parum efficere, nisi tela conjicere, potuerunt, sed castellanis tela remittentibus, plerumque plus damni acceperunt. Eadem hieme magnus hominum numerus ad Insulanos confluxit, qui se eorum ministeriis addixerunt. Sigurdus dynastæ filius, qui autumno præcedenti a Birkibeinis in Vika commorantibus ad Insulanos transfugerat, unus ex centurionibus eorum erat, vir magnæ prudentiæ existimatus. Accidit principio longi jejunii, die quodam festo, ut Olavus dynastæ affinis, cum in æde Olavi,

[1]) trecentos sexaginta, *B.*

quæ Bakkis erat, missæ operam daret, foris juxta templum, dum peragebatur missa, consisteret, manu in postem imposita, quam castellanorum aliquis, intensa arcubalista, telo transfixit, tanta vi, ut spiculum posti infixum hæreret; quod vulnus grave fuit. Insulani, quod regem Sverrerem non adventurum prius quam vere procedente exspectarent, partem copiarum in præfecturas huc illuc dimiserant. Rex Sverrer, per hiemem in Thrandheimo se continens, copias ex pagis evocaverat, ad invadendos Insulanos, quos brevi a meridie adventuros exspectabat, semper paratus; quæ copiæ in taberna symposiaca per hiemem hospitabantur, usque eo donec rex vere proxime insequenti, tempore longi jejunii, ab septemtrione iter ingrediebatur. Naves non majores, quam viginti transtrorum, et infra hunc numerum, habuit. Rex magna celeritate usus meridiem versus Bergas contendit, de cujus itinere Insulani nullum nuntium acceperunt, prius quam oppidum adpropinquaret. Die Saturni ante dominicam palmarum concilium habuerunt, in quo Olavus dynastæ affinis coram militibus concionans hunc in modum verba fecit: jam verum nuntium de itineribus regis Sverreris accepimus, eum brevi adfuturum. Itaque deliberandum nobis est, utrum eum hoc loco exspectemus, et cum copiis, quas nunc habemus, rem in prælium committamus, an aliam inire rationem malitis, eo quod magna copiarum pars alio dimissa sit. Sigurdus dynastæ filius cum sex[1] navibus meridiem versus Stavangriam profectus est, ad quem velis in altum datis receptus patet; Eystein Korpus cum tribus navibus in Sognio est, quæ copiæ exiguo nobis usui erunt. Tum Halkel Jonis filius: haud opinor, inquit, copias nobis hoc tem-

[1]) septem, *B.*

pore defuturas, quibus regem Sverrerem aggrediamur, modo non desit consilii copia, neque se fortuna commisso prælio magis quam pro instituti ratione adversam præbeat. Cum enim plerosque adversus regem Sverrerem pugnaturos consilia defecisse videantur, spero nos, nisi rationem temeritate perturbemus, victoriam ex eo reportaturos. Sed ista temeritas, quæ non minus nobis, quam aliis qui in eam incurrerunt, accidere potest, fugienda est. Cum plurium animi ad pugnandum proniores essent, ad naves descenderunt, seque compararunt, et naves pluteis munierunt, has eadem vespera procedente in Florovogos provexerunt, eoque loco pernoctarunt. Eadem vero ipsa vespera rex Sverrer post occasum solis oppidum Bergarum appropinquans, conscensa scapha, in oppidum vectus est; cetera classis cursu exteriore meridiem versus ad Gravdalum remis acta est. Rex vero nuntium, quid agerent Insulani, accepit; extra ad Holmum egressus ad ædem Christi accessit. Hic id novi acciderat, ut Paulus episcopus pridie mortuus esset, cujus funus in hac æde ad sepulturam compositum servabatur. Inde rex in arcem adscendit, castellanosque dare sibi milites ad prælium jussit. Paulisper in oppido commoratus, meridiem versus ad classem revectus est; moxque naves ad Hvarvsnesum constituerunt. Dein rex scapha vectus, custodias Insulanorum observatum, in Florovogos profectus, eos inter se colloquentes audivit, omnemque consilii rationem Halkelis, ex qua, ut primum illucesceret, committere pugnam decreverant, animadvertit; mea sententia est, inquit Halkel, ut naves nostras inter se copulemus, quo facto milites nostri conjunctis viribus rem gerere poterunt. Primo conjectu lapidum, quoad horum copia suppetet,

hostem fatigemus, tum missilia ingeramus, deinde in eos impetum, cujus sero memoriam deposituri sint, faciamus, quo facto brevi rerum commutatio fiet; quisque quam poterit operam præstet, reliqua Deus procuret. Post hæc rex Sverrer ad classem rediit, suisque consilium Insulanorum et prælii committendi rationem aperuit: hos nunc statim aggredi, e ratione esse puto, inquit, ut potius imparatos opprimamus, quam ab eis præoccupemur. Jam, si ante diluculum eos aggrediemur, omnes naves nostras, tænia linea proris alligata, notabiles faciamus. In committendis navibus observemus, nobis negotium fore cum navibus altitudine nostras superantibus, quare primo, dum in præliando sunt acerrimi, naves nostras spatio liberiori teneamus; probe vos custodiatis et primo clypeis tantum protegatis, telaque hostium in cassum effundi patiamini, sua quisque arma remosque conservet, his enim opus nobis erit, utricunque vicerint. Rex Sverrer viginti naves, atque minores, habuit, Insulani quatuordecim[1], et ingentes plerasque. Sequenti mane sub diluculum Insulani navibus develatis in Florovogis steterunt, mox resolutis oris ex sinu remigarunt; naves universas, a prora puppique funibus inter se annexas, æquis frontibus propulerunt, regem Sverrerem quæsituri; sed tenebris prospectum adimentibus animum non prius adverterunt, quam naves Sverrerianæ in eos advolarent, utrisque extemplo clamorem tollentibus. Tum Insulani, funibus quam vehementissime arreptis, naves inter se attrahere conabantur; sed navibus recta tendentibus, altera in alterius remos irruens abstergebat. Mox universis ad copulas retractis, Birkibeinorum naves advolabant. Prælium extemplo

[1]) tredecim, *B.*

committitur; Insulani vehementi ardore impugnant. Birkibeini se clypeis adeo dense obtexerunt, ut nusquam nuda corpora apparerent; naves varie circumflectendo hostem simulato impetu ludificarunt; quod adeo perite administrabant, ut tali negotio assvetos esse appareret. Cum vero Insulani lassitudine exanimari cœpissent, et vehementissimus jaculationis impetus deferbuisset, rex Sverrer Birkibeinos hortatus: surgite, inquit, arma tollite, vos Birkibeinos præstate, et qua dexteritate armis utamini, ostendite. His accensi Birkibeini sub clypeis surrexerunt et impetum vicissim in hostes fecerunt, alii saxa, alii tela conjecerunt, navibusque admotis vehementer institerunt. Quorum impetum Insulani, beneficio altitudinis navium usi, satis fortiter exceperunt: manus ferreas in navem regiam injecerunt, proræ defensores interfecerunt, vexillum ceperunt, navem a prora ad malum usque propugnatoribus nudarunt. Ut vero in navem transcendere cœperunt, rex suos hortatus est; quare Birkibeini adversus Insulanos tanta strenuitate progressi sunt, ut pedem referre cogerentur, pars necarentur, pars in naves recederent. Tum Birkibeinis suas ab hostium navibus resolvere contigit; omnesque, qui ad naves majores adplicuerant, et ab Insulanis apprehendi continerique potuerant, eadem usi fortuna fuerant, ut pars navium Birkibeinorum defensoribus nudata esset; qui impetus magna hominum strage, in primis regiorum, damnosus fuit. Amotis navibus, rex Birkibeinis: bono este animo, milites, inquit, haud multos in nos tam acres impetus dabunt: hostem forti animo excipiamus, non minori quam nos clade afflictum. Insulani vero, cum Birkibeinos avertisse naves animadverterent, fugam capessere velle opinabantur. Tum Olavus dynastæ

affinis: jam strenue operam navemus, nunc enim animos submiserunt, quod accidere video plerisque, qui copiarum multitudine et strenuitate superantur. Victoria utamur, copulas ferro dirumpite, fugientibus fortiter instemus. Quod cum omnes vehementer cuperent, factum est. Disjunctæ autem inter se naves, cum impetus in hostes faciendus esset, remigio destitutæ, æstu abreptæ singulæ seorsim ferebantur. Quo facto Birkibeini adremigantes singulis binas aut ternas applicuerunt; eodemque temporis momento oppidani advenerunt, navem longam adducentes, nonaginta[1] viros vehentem, omnes anulatis loricis indutos; quæ manus commodum advenit. Itaque naves Insulanorum nudari propugnatoribus cœperunt; et Birkibeini, ut quæque vastata erat, ex minoribus navigiis in naves majores transcenderunt. Insulani Sigurflugam, vexillum regis Sverreris, in puppi navis prætoriæ constituerant. Quæ quo loco quærenda esset, cum Birkibeini exacte conspicerent, ea acrem impressionem fecerunt, neque prius destiterunt, quam vexillo potiti essent, quo facto navem conscensam a puppi ad proram defensoribus nudarunt. Sigurdus vero regis filius se in mare præcipitavit, et natans interfectus est. Tum duabus navibus avecti Lodin, filius Pauli Ocelli, et Halvardus Brattius. Etiam Olavus dynastæ affinis, vastata navi sua, se in mare præcipitavit, et ad terram natavit; quem Birkibeini, pedibus in vada progressi, priusquam enavisset, interfecerunt. Navis Halkelis, quippe quæ optime defensoribus instructa summaque laterum altitudine esset, extremo vastata est. Halkel intra navem suam cum plerisque suis cecidit. Eo loco omnes fere milites Insulanorum, præterquam quibus concessa

[1]) centum, G.

incolumitas est, ceciderunt. Vetuerat rex, ne missæ prius in oppido canerentur, quam e prælio revertisset, nisi tempus longiori mora protractum esset. Jam rex in oppidum invectus omnes secum naves adduxit, cujus a prælio reditus in ipsam horam, qua sacra antemeridiana celebrarentur, incidit; itaque eo adveniente missæ extemplo cani cœptæ sunt. Brevi post prælium Bardus Guttormi, Benedictus Parvus, aliique milites obierunt. Post paulo inventa Sigurdi Olavique funera. Hic rex Sverrer corpus Sigurdi coram multitudine repræsentandum curavit, significans, hoc corpus esse principis, quem ista factio sibi præfecisset, mortuumque in cœmeterio ædis Mariæ a meridiana sacrarii parte humari jussit. Hic ingens fossa depressa, in quam funera Insulanorum, Olavique dynastæ affinis in summo, deposita. Vulgaris existimatio est, non factam esse pugnam, in qua tam impari navium altitudine quam in Florovogis, victoriam quisquam reportarit. Sed multum intererat inter utriuspartis in prælio committendo dexteritatem, maximumque ad victoriam momentum habuit, quod Birkibeini præliis erant adsvetiores; Insulani vero, etsi ad arma essent audaces, tamen sui protegendorum negligentiores vires animosque incautius profuderunt. Quibus rebus cognitis Sigurdus dynastæ filius cursum meridiem versus secundum terram convertit, et orientem versus in Vikam usque, indeque meridiem versus in Daniam contendit; quem pars militum comitati, pars in diversa dilapsi, pars pacem et incolumitatem stipulati sunt. Eystein Korpus ad terras occidentales transmarinas profectus est.

De literis archiepiscoporum ad Papam datis.

121. Archiepiscopus Eirikus et archiepiscopus Absalon legatos Romam cum literis

ad Papam miserunt, in quibus omnia de rege Sverrere scripta erant secundum archiepiscopi Eiriki suorumque testimonium, item de omnibus rebus, qui inter eos intercesserant, antequam archiepiscopus cathedram desereret. A Papa ea sunt responsa reddita, quæ archiepiscopi per nuntios expetierant, gravissimas pœnas regi Sverreri a Papa denuntiari, nisi omnia, quæ cuperet postularetque archiepiscopus, concessisset. Has easdem literas archiepiscopus in Dania recitandas curavit, et quaque die dominica excommunicationem in regem Sverrerem in choro promulgavit. Qua re cognita, rex Sverrer sæpe de hac re in conventibus disseruit, dicens: hoc nil nisi Danorum commentum esse, non ipsius Papæ sententiam; opinari se, Eirikum cæcum haud se mendaciis solis regia dignitate exuturum: eædemque illæ imprecationes et diræ, inquit, quas in me denuntiavit, ipsius oculis infusæ, eam qua nunc laborat cæcitatem ei attulerunt. Illi quidem, qui facinora excommunicatione digna admittunt, haud dubie excommunicationi obnoxii sunt; ego vero sum rege natus, ad quem jus hujus regni ac potestatis pertinet; qui cum multos labores et difficultates, priusquam hoc regnum adeptus sum, pertulerim, has ob causas ei haudquaquam renuntiare volo. Eirikus, quamvis cæcus, ad cathedram suam redeat, licet, modo legibus civilibus, quæ hac in terra servandæ sunt, obtemperare velit; etsi vero utrisque oculis, quibus nunc, ut et mente ad perspiciendum verum, captus est, integer esset, illius causa, quantumvis effundat dirarum et imprecationum, leges a sancto rege Olavo latas non violabo.

De legato Papæ et rege Sverrere.

122. Paulo post festum paschatis rex Sver-

rer orientem versus ad insequendum Sigurdum dynastæ filium profectus est, reliquias factionis dispersurus, eoque vere Kongelam usque pertendit. Tunc eo advenit legatus a Papa missus, ejusque comites, quos rex Sverrer ad se invitavit, legatumque per aliquot dies mensæ suæ adhibuit. Qui cum de multis rebus inter se dissererent, rex a legato petiit, ut se regem inauguraret et coronaret; cui legatus liberaliter respondit, petitionique annuebat. Quo cognito consilio, ceteri clerici legato significant, regem cum archiepiscopo dissidere, huncque ex sede cathedrali dejectum esse; hortantur, ne huic rei consentiat, causantes, primo quod rex antea sacerdotio initiatus fuerit, secundo, quod uxorem duxerit, cum antea aliam lege conciliatam habuisset, quarum utraque viveret; multa alia ad regem criminandum attulerunt. Proxima autem vice, cum rex Sverrer legatum de eadem re compellaret, hic inaugurationem denegavit, hortatus, ut cum archiepiscopo in gratiam rediret, tum demum ejus inaugurandi officium sibi injunctum esse. Hic rex: intelligo, cujus rei causa in hanc terram veneris, eadem scilicet, qua multi alii impostores, qui huc ab exteris evagantur, ut pecunias lucrentur, ut primum discesserunt, rempublicam nostram ludibrio habentes. Quam ob rem te hac terra excedere jubeo, nolo enim hujus nostri regni cives a te pecuniis fraudari. Post hæc legatus discessit.

De rege Sverrere et Nicolao episcopo.

123. Rex Sverrer itinere boream versus in Vikam converso, missis legatis Nicolaum episcopum arcessivit. Qui cum ad regem venisset, in secretum colloquium seducto aperit rex, se certiorem factum esse, omnes fraudes quas Halkel ac sui sibi intendissent, ejus instinctu primo

profectas esse; quod crimen, certis prolatis indiciis, ei intulit. Negante episcopo et contra dicente, rex eum frustra infitias ire dixit, sibi verum antea compertum esse; gravissimas pœnas ei minatus est, domini proditorem et perduellem appellans. Episcopus regis clementiam imploravit, fidem suam jurejurando interposito confirmatam promisit, pollicitus, prout ipse rex postularet, pro omnibus quæ deliquisset satisfacturum; summam animi modestiam præ se tulit. Rex Sverrer episcopum secum septemtrionem versus Bergas duxit, Thoreri, episcopo Hamarensi, nuntium misit, ut quam primum Bergas veniret; quod hic fecit; eodem et advenit Njal, episcopus Stavangriensis. Hic mentio de electione facta est, quis in locum Pauli episcopi cathedræ Bergensi præficeretur. Tum electus est vir, nomine Martinus, sacerdos aulicus regis Sverreris, utroque genere Anglus, et egregie doctus. Hunc auctoritate regis Sverreris episcopum inaugurarunt, his episcopis administris, Nicolao episcopo, Thorere episcopo, Njale episcopo. Episcopus Nicolaus id temporis regi Sverreri amicissimus fuit, omniumque regi consiliorum, quæ perfici vellet, auctor. Tum splendidum convivium in ædibus regiis apparatum, decretumque, ut hi episcopi regem Sverrerem inaugurarent et coronarent. Quæ res peracta est, ut eum festo apostolorum Petri et Pauli regem inaugurarent, ipseque coronam sumeret, episcopo Nicolao inaugurationis auspice primario. Hi ab rege eximiis donati muneribus, amicissime dimissi sunt.

De concilio episcoporum et literis ad papam datis.

124. Præcedenti hieme episcopus Thorla-

cus sanctus in Islandia obierat; eademque æstate Paulus Jonis Loptidæ filius ab Islandia advenit, et Nidarosi in Norvegia hiemabat. Hic vere proxime insequenti per mediterranea orientem versus in Vikam profectus, regem Sverrerem Osloæ, ubi hiemem transegerat, convenit. Inde Paulus in Daniam profectus ab archiepiscopo Absalone episcopus inauguratus est, eademque æstate in Norvegiam et septemtrionem versus Bergas pervenit. Eodem vere rex Sverrer boream versus Bergas profectus est. Hic conventus indictus erat, ut omnes episcopi, qui in Norvegia essent, ibi adessent, ut cum rege consilia communicarent: Nam archiepiscopus Eirikus literas suas septemtrionem versus in Norvegiam miserat, quibus omnes episcopos ad se e regno evocaverat. Tunc omnes episcopi Bergas venerunt; venit et eodem Paulus episcopus. Æstate præcedenti rex Sverrer copias occidentem versus in Orcades mittere, Orcadensiumque perfidiam ulcisci decreverat. Cujus rei fama in Orcades perlata, Haraldus dynasta et Bjarnius episcopus consilio eis prospexerunt; dynasta enim cum Bjarnio episcopo omnibusque Orcadum optimatibus iter ab occidente paravit, et hoc concilio episcopali durante in Norvegiam pervenerunt. Hic principes conventus inter se consiliaque habuerunt, decretumque, ut legati ad papam cum literis, sigillo regis Sverreris omniumque præsentium episcoporum ante dictorum munitis, mitterentur. Ad hanc legationem delectus est Thorer episcopus et Richardus niger (Dominicanorum) magister, qui hæc mandata ad papam Cælestinum pertulerunt.

De transactione inter Haraldum dynastam et regem Sverrerem.

125. Post hæc rex Sverrer et Haraldus

dynasta de suis causis agebant. Tum conventu in cœmeterio ædis Christi indicto, omnes aulici solium regis circumsteterunt, aliis loco remotiori considentibus, magna præterea multitudine extra consistente, in quibus dynasta. Is sermonem orsus, hunc in modum verba fecit: hoc loco magna convenit eximiorum virorum multitudo, quæ ut meæ orationi secundo rumore faveat, mea plurimum interest. Ego, cujus ætatem barba testatur, pluries ad complurium regum genua, interdum intimæ amicitiæ ergo, sæpissime ad difficiles causas disceptandas, accessi. Jam nova intervenit difficultas, ira domini mei, regis Sverreris, quam non tam commerui, quam suscepi. Neque enim ego comparandæ factionis auctor fui. Non quidem adversus eam pugnavi; sed universo populo istius terræ, cui præfectus essem, adversari non fas erat. Neque vero Orcadenses omnia ad meam voluntatem faciunt: multi ex Orcadibus excurrentes, Hiberniam aut Scotiam piraticæ faciendæ causa infestant, aut mercatores diripiunt, idque me invito, quanquam in pœnis exigendis vulgo haud negligens existimor. Sed de his non multa; rem omnem, utut facta est, Dei tuæque, domine, potestati permitto. His dictis dynasta per mediam multitudinem progressus, genibus regis advolutus est. Rex circumspexit, seriusque sermonem orsus: vos Norvegiam magna, inquit, calamitate afflixistis, qui tam valentem factionem, quam Insulani fuerunt, huc irrupturam vestra ope adjuvistis; quod a mea meorumque voluntate valde abhorrebat. Quoniam vero dynasta, ut videre est, huc advenit, et omnium, quæ in nos deliquit, pœnitentiam agit, veniamque implorat, hanc ei concedere volo; ipsi enim mihi opus est, ut Deus omnipotens, ultra

quam merui, mihi ignoscat. Atque surge, domine dynasta, Dei meaque pace tutus, pacis autem inter nos conditiones, cum magis vacaverit, pronuntiabo. Rex Sverrer omnes pacis conditiones, quas Haraldo dynastæ præscripsit, literis mandandas curavit; omnia quoque prædia et possessiones, quæ in Orcadibus et Hjaltlandia sitæ eorum fuerant, qui in Floruvogis ceciderant, regisque fisco erant addictæ, in album referri jussit. Tres hiemes constituit, intra quas mortuorum cognati prædia pecuniis redimerent; si redemta non fuissent eo temporis spatio, omnia regio fisco in perpetuum cederent. Rex Sverrer totam Hjaltlandiam sibi tributariam et vectigalem subjecit; Haraldum dynastam Orcadibus præfecit ea lege, ut rex dimidium cujuscunque pecuniæ multatitiæ haberet, præfectosque iis locis constitueret. Haraldus digrediens in regis verba juravit.

Colloquium Sverreris cum episcopis.

126. Dein rex Sverrer episcopos digredientes ita allocutus est: vos, excellentes viri, moneo hortorque, ut munus, cui a Deo præfecti estis, prudenter colatis, semper memores, non vestrum esse patrimonium aut hereditatem, item, Eirikum cæcum, si vos e regno ejiciat, parum boni vobis vicissim daturum, eam maxime ob causam, quod sibi ipse non potest; neque enim plus quam novem aut decem satellites nunc habet, quos omnes alieno sumtu alit. Si vero mihi societate conjuncti adhæreatis, nostrum omnium causæ patronus ero. Illi libenter polliciti sunt, se regem ejusve causam non deserturos.

De Reidare legato.

127. Reidar nomen erat viro e Vika oriundo, qui diu peregre abfuerat multaque loca obierat. Is eadem æstate in Norvegiam venit,

afferens literas et sigillum, quod Bulla aurea dicebatur; quod sigillum regi Sverreri rex Græcorum Kirialaxus[1] miserat; in quibus literis scriptum erat, ut rex Sverrer mille ducentos strenuos milites regi Græcorum mitteret; eundem in finem virum, nomine Petrum, Malum dictum, in Daniam ad regem Knutum miserat; tertium legatum miserat ad regem Svionum. Reidar legatus de negotio sibi demandato sæpius cum rege agebat, cui rex primo libenter annuens se animum ad id conversurum pollicitus est. Reidar sequentem hiemem apud regem versatus est. Præcedenti autumno obiit Knutus Sveciæ rex, succedente Sörkvere Caroli filio.

De Nicolao episcopo.

128. Eodem autumno episcopus Nicolaus in Daniam ad archiepiscopos, Absalonem et Eirikum, profectus, in gratiam cum eis rediit. Insequenti autem hieme Roma in Daniam advenere Thorer episcopus, Richardus magister, et una cum his Cardinalis Romanus; qui omnes ibidem subito correpti morbo obierunt. Quorum negotii qui exitus fuisset, certis nuntiis haud celeriter in Norvegiam allatum est. Verum post aliquanto Dani quidam advenientes, regi Sverreri literas et sigillum papæ attulerunt, testantes, episcopum Thorerem et Richardum magistrum, quibus mutuas pecunias dedissent, has literas pignori opposuisse. Quibus rex, acceptis literis, pecuniæ quantum visum est numeravit. Has literas rex Sverrer in choro recitandas curavit, papæque sigillum ipsasque literas monstravit. In quibus literis scriptum erat, papam, ut primum pro certo cognovisset, regem veriora quam archiepiscopum dicere, ipsum totumque

[1]) i. e. imperator Constantinopolitanus Alexius Angelus, qui hoc anno (1195) fratri Isaacio Angelo imperium eripuit.

regnum ejus ab excommunicatione liberasse. Rex significavit, se pro certo comperisse, Cardinalem et Thorerem episcopum cum collega a sacerdote quodam cœnæ adhibitos, veneno potui eorum vesperi injecto, omnes eo loco mortem obiisse.

Initia Baglorum.

129. Vere proxime insequenti Reidar ex rege quæsivit, quem exitum demandatum sibi negotium habiturum esset. Cui rex: mihi quidem res ad bellum internum spectare videtur: nam et audio, Danos occasioni imminere, ut infestos nobis adversarios submittant, et intra ipsum regnum versantur, quibus haud satis credam, si quando aliqua factio extiterit; quam ob causam, re ita comparata, milites meos amittere nolo. Tum Reidar ex rege quæsivit, an colonorum filiis aut mercatoribus, si proficisci vellent, veniam daturus esset; quod rex se facturum ostendit. Itaque Reidar, manu comparata, proxima æstate peregre profectus Haloram pervenit, quo tempore eo loco mercatus et nundinæ habebantur. Eodem Nicolaus episcopus, magnaque cum eo Norvegorum multitudo, in primis Vikensium, pervenit. Nicolaus episcopus ac sui eo puerum quendam deduxerant, quem Ingium, filium regis Magni Erlingidæ, vocarunt, quem eundem Birkibeini Danum esse, vocarique Thorgilsem Thuvoskitum, asserebant. In hujus loci lingula arenosa factionem instaurarunt, cui magna se adjungebat hominum multitudo; eidem agmini se archiepiscopus Eirikus adsociavit. Hanc deinde factionem septemtrionem versus in Norvegiam duxerunt; ibi quoque tum erat Sigurdus, filius Erlingi dynastæ, multique alii principes viri. Hæc factio Bagli appellata.

De rege Sverrere et Baglis.

130. Cum hæc gerebantur, rex Sverrer ad orientem in Vika se continebat; Bagli vero cursum continuarunt, donec in fretum Salteyense pervenerunt. Rex Sverrer nuntium de itinere eorum in Semsfjordo accepit, extemploque manum adversus eos misit. Ipse cum Nicolao Vestnesensi speculatorem agens, cum animadvertisset, quantas Bagli copias haberent, multumque numero valere viderentur, Nicolao et Sigurdo Lavardo præcepit, ut naves ad prædium Sonabergum[1] dictum applicarent, et, si qua se offerret occasio, Baglos lacesserent; ipse ad Hasteinum vectus, deprehensos ibi speculatores Baglorum in fugam conjecit. Post hæc interiora versus ad classem revectus est, eoque loco aliquamdiu telis inter se conjectis eminus pugnabant, non magna edita strage; celox, quam ducebat rex, litori interiori proxima stabat. Bagli in continente erant, quo loco Mugavalli dicuntur, navesque ad se in aridum subduxerant; habuerunt quinque naves longas, centum et viginti minores; Sverrer triginta[2], et plerasque exiguas, habebat. Rex autem intelligens, adversus tantam multitudinem, quanta in terra erat, nihil effici posse, suos monuit, ut circumspecte agerent, caverentque, ne naves cum vectoribus ab hostibus in aridum subducerentur. Tum rex extra ictum teli provectus, trajecto freto, ad insulam appulit, ibique aliquamdiu stetit. In rupe quadam e regione navium Baglorum ballistam erigendam curavit, et vesperi, quo perfecta ballista erat, Birkibeini aliquamdiu tela torquebant, et naves Baglorum confringebant. Vesperi autem tenebris obortis rex Lavardum filium suum et Eylivum Rufum ad custodiendam ballistam eo

---

[1]) Sonaborgas, *B.* [2]) viginti, *B.*

loco reliquit; hi unam navem ducebant, qua milites ad[1] octoginta[2] vehebantur. Rex eos monuit: ita vobis caveatis, ut si Bagli hac nocte adventuri sint; quibus dictis ad naves regressus est. Cœlum erat cum maxime frigidum, quare complures obambulabant et se calfaciebant, alii juxta ballistam acervatim recubuerunt; tenebræ erant densissimæ. Insula continenti dorso arenoso jungebatur, qua Bagli, cum mare recessisset, nocte progressi in insulam exibant, centum viginti homines, omnes loricatos, habentes; neque Birkibeini, qui ad ballistam erant, animum prius adverterunt, quam gæsa eis infigerentur; tum vero exsiluerunt scilicet. Hic Eylivus Rufus: hos a nobis repellamus, exiguam tantum manum habentes. Quo dicto cum paucis ad resistendum se convertit, quorum plerique ceciderunt. Sigurdus Lavardus regis filius per fissuram quandam rupis se demisit, aliique plures idem fecerunt; hi ad naves tendebant, ut et ii, qui antea abcesserant. Quos cum Bagli conjuncta manu persequerentur, Birkibeinis in primis saluti fuit, quod tenebræ tam densæ erant, ut agnosci non possent; et tamen plus viginti suorum amiserunt. Bagli ballistam diffregerunt. Quibus rebus animadversis, Birkibeini, qui in navibus erant, signo tuba dato, in terram egredi contenderunt, primo in litus evadente Nicolao Vestnesensi; tum Bagli refugientes ad suos se receperunt. Rex Sverrer multis acerbe dictis in filium Lavardum invectus est, dicens, id quod verum erat: equidem alio modo excubias egi, inquit, quando cum rege Magno de principatu contendebam; væ regio filio, qui munia sua tam negligenter servat, quam tu servasti; apage te in terram, neque in conspectum meum redi,

[1]) *omitt. F.* [2]) triginta, *B.*

priusquam dilucescat. Tum complures in terram egressi ad lucem vigilabant.

De Nicolao episcopo et Birkibeinis.

131. Accidit aliquo die, cum rex Sverrer in Semsfjordo staret, ut celoce vectus ad terram subibat. Bagli vero in rupem quandam progressi eos inclamabant. Hic Sigurdus dynastæ filius: an Sverrer ille, qui mihi cibum dedit, in celoce est? Huic Ljotus Haraldi: hac nave rex Sverrer vehitur; et verum est, eum pejori, quam tibi, homini cibum non dedisse, quod re ostendis, puto. Tunc episcopus Nicolaus: cur non egrederis in terram, Sverrer? Nuncne pugnare vis, impie? tibi nulla vivendi ratio magis placet, quam prædandi et depopulandi. Jam hoc loco te manebo. Clypeumque tollens: en manutergium meum; jam mitram gero, eumque baculum, quem jussu papæ contra te feram, nempe cassidem et gladium; quæ arma feram, donec interfectus aut regno expulsus eris. Birkibeini eum identidem interpellantes: haud egressus nobis difficilis videretur, si tui tantum, sceleste, similes exadversum starent; et hæc arma in die ultimi judicii proferes. Alii sic locuti sunt: tu arma tua nequiter geres; sic olim gessisti. Rex interfatus, suos vetuit, ne conviciis cum eo contenderent. Episcopus adjecit: vos, Birkibeini, mihi semper animi imbecillitatem objicitis. Age jam, Sverrer, in terram egredere, ego vero tibi obviam ibo; et experientia docebit, utrum mihi plus auxilii ferre valeat Petrus apostolus et Halvardus sanctus, an tibi pænula Gothica, quam colis. Tum rex Sverrer, ita ut sui audirent: si ego ac Nicolaus congrederemur, canina aggressio vocaretur, cum neutri animus insit. His dictis rex celocem remis abigi et ad classem revehi jussit.

Consilia regis Sverreris, boreamque versus in Thrandheimum profectio.

132. Postero mane rex concione habita suorum sententias exquisivit, quid capiendum consilii esset. Respondit Nicolaus Vestnesensis: molestum nobis esse videtur, cibariorum inopia laborantes hoc loco morari; quare aut statim aggredi hostem et manum conserere volumus, aut discedere, eoque, ubi cibariorum facultas erit, nos convertere. Cui rex: jam multorum, Nicolae, voluntatem eloqueris, et scio, milites evocatos domum redeundi cupidos esse; quod si hi moram ægre ferant, illis, qui hoc loco intra fretum hærent, multo molestior erit; qui, si tamdiu moremur, dilabentur. Sed quandoquidem discedere vultis, veniam dabo. Itaque rex averti naves jussit, quod et factum est. Accidit hoc die dominica. Rex funera suorum ad ædem ad fretum Salteyense sitam deportanda curavit. Quibus confectis totam classem septemtrionem versus duxit, secundo vento Bergas usque usus. Tum omnibus evocatis, venia discedendi concessa, boream versus contendit, et hiemem in Thrandheimo transegit. Bagli vero septemtrionem versus in Vikam contenderunt, indictisque comitiis Bergensibus, Ingium regis Magni filium regem crearunt, quo facto totam Vikam et Uplanda sibi subjecerunt, præfectosque omnibus provinciis præfecerunt. Episcopus Nicolaus partem hiemis Osloæ in diœcesi sua, partem ad meridiem in Dania consumsit; tum Ivar Skjalgius episcopus emporii Hamarensis inauguratus est. Tunc Halvardus Sastadensis, Kolbein Strinevus, multique alii se factioni adsociaverunt. Eadem hieme episcopus Nicolaus et Sigurdus dynastæ filius magnam pecuniæ summam, quæ regis Sverreris erat,

ex pariete ædis Mariæ in Hofudeya extractam secum abstulerunt.

Rex Sverrer copias evocat, ad milites concionatur.

133. Insequenti vere episcopus Nicolaus et Sigurdus dynastæ filius in Heidmarkam profecti, manum boream versus per montem miserunt. Qui cum in sinum Aldium[1] dictum, intra Rugsundum situm, devenissent, Thorerem Darium et Einarem Lygram præfectos regis Sverreris, unacum cohorte aliqua, eo loco interfecerunt, Thorere Krako ac Thorgilse, regis Sverreris præfectis, ad eum effugientibus. Bagli in Uplanda reversi sunt. Eadem hieme post festum jolense rex Sverrer, concilio cum colonis habito, milites ex communi Thrandorum, Halogia, utraque Mæria et Romsdalo evocavit, omnesque copias primo vere ad se convenire jussit. Festo Halvardi cum omnibus copiis Bergas pervenerat, militum habens tria millia sexcentos, quos omnes navibus imposuerat. Rex diu per æstatem ad festum usque Margaretæ Bergis se continebat, milites evocatos, quos ex universis provinciis a meridiana Stadi parte sitis exciverat, opperiens. Quibus ad eum confluentibus, antequam Bergis solveret, numerus militum [septies mille ducentorum[2] recensitus est. Totam classem meridiem versus in fretum Græningense duxit, mirantibus suis, cur a solito cursu deflexisset; ille vero, quid ea de re loquerentur, non curavit. Rex, concione colonorum habita, multa coram suis locutus est, utrisque audientibus, et colonis et militibus. Magnam quoque evocatorum multitudinem habebat, quæ multis in rebus se turbulente et immoderate gerebat. Quos in hoc conventu allocutus rex, hunc in modum verba fe-

[1]) Haldium, *B.* [2]) plus quater mille octingentorum, *S.*

cit: minime convenit, excellentium colonorum filios eo consilio ex Thrandheimo, Halogia aut Mæria, locisve propioribus, advenisse, ut adversus suppellectilem aut vasa aut alia utensilia colonorum, sibi forte obvia, pugnent, aut has res concidant aut lædant; quod vobis quidem nullam dexteritatis aut strenuitatis famam conciliat, possidentibus autem damnum affert. Oro vos, inquit, ne sic facere pergatis. Ista vero, nisi gravis aliqua necessitas flagitaret, palam proferre, haudquaquam rege dignum esset. Sed hujus imperii principis nomine indignus sum, si non efficiam, ut mala consvetudo me moderante reprimatur, neque ulterius progrediatur. Quam ob rem vos amicissime oro, ut istam turbulentam agendi rationem deponatis; invitus enim ad pœnas vobis irrogandas confugio; quo tamen confugiendum est, si admoniti ad meliorem frugem redire nolitis. Et vero, quamvis negante episcopo Nicolao, ita mihi videor ad regendum moderandumque hocce regnum idoneus, ut necesse non esse oporteat, me bis aut ter eandem rem inculcare, præsertim in tam levi causa, cujus modo feci mentionem. Verum hoc me nescire fateor, quibus inductus rationibus episcopus Nicolaus neget, mihi regi esse Norvegiæ licere. At vero complures regia nomina gesserunt, ex ancillis nati; ego autem sum vera proles regis Sigurdi et Gunnildæ. Hujus quidem genus jam multis hominibus innotuit; si qui autem sunt ex præsentibus, id quod opinor, quibus non satis perspectum sit, id aliquantum explicare possum. Tum coram universa concione omnia ejus (Gunnildæ) stemmata recensebat; quo facto multi, quibus antea ignotum fuerat, cognatos suos regem tam genere paterno quam materno attingere intelligebant. Rex in extrema

orationis parte Deum hominesque testatus est, se neminem scire eorum, qui id temporis in Norvegia viverent, nomine regio semetipso digniorem. Quamvis autem episcopus Nicolaus alium eligi malit, nos Birkibeini id non magis nunc quam antea curabimus. Regem inperio præfectum et forti et sincero animo esse oportet. Nobis autem videtur Nicolaus, etsi ore diserto sit, leporis animositate, fide vulpis præditus; talem enim se nobis ad hoc tempus semper præstitit, et, si omnem Ingiridæ prolem recenseamus, paucos fideles fuisse inveniemus: nam neque Magnus, neque Burizus[1] fidi fuerunt, ut experientia docuit. Sed talia omittere præstat, eventus enim postea probatum dabit, qualis quisque sit. Sed opinor propediem adfore tempus, cum nos Birkibeini Baglos conveniemus, tumque appariturum, qua fide aut constantia vulpio iste eorum consilia adversus nos Birkibeinos adjuvet.

Rex Sverrer rationem oppugnandi suis præscribit.

134. Hac habita oratione, concio dimissa est; coloni domum redierunt, Birkibeini et milites ad naves regressi sunt. Haud ita multo post, exorto vento secundo, rex signum proficiscendi tuba dari jussit. Velis adhibitis orientem versus terram prænavigantes, non prius destiterunt, quam Osloam pervenirent, ubi Bagli cum universis copiis suis aderant. Rex Sverrer vespere festi Jacobi ad Hofudeyam appulit, maneque sequenti egressus, rei divinæ operam dedit, cumque ad naves revertisset, concione militum advocata, locutus est: Bagli qui cum satis magno militum numero oppidum tenent,

[1]) Burizlavus, *F*; Magnus Sveciæ rex et Burizus Ingiridæ, matris Nicolai episcopi, ex Henrico claudo filii erant.

nos excepturi sunt; jam diligenter animum attendite, quam oppugnandi rationem instituam. Hakon, filius meus, cum classe minorum celocium ad litora argillosa intra cœnobium monialium penetrato, eo loco egressus in oppidum irrumpito, eosque, qui in pontibus sunt, a tergo adoritor. Præfecti mei, Gregorius Jonis, Sigurdus Modastadensis, Eystein Rognvaldi, cum Mæriensibus, appulsis ad Eyras prope cœmeterium ædis Mariæ navibus, eo loco per plateam meridianam egrediuntor. Omnes reliquæ copiæ cum meo vexillo ad pontes, ubi robur exercitus adversariorum constitisse puto, appellunto. Jam ad naves descendamus, navesque per interiora versus contra eos provehamus. Mox signo classico dato universam classem versus interiora remis propulerunt, navibus, modo quo præscripserat rex, in diversa distractis.

Prœlium inter Regem Sverrerem et Baglos.

135. Nicolaus episcopus orationem ad Baglos habuit, rationem aciei instruendæ præscripsit, et hunc in modum locutus est: Sigurdus dynastæ filius cum sua cohorte, et Halvardus Sastadensis cum Uplandensibus intra cœnobium monialium una acie consistunto, et custodiunto, ne ea parte adscendere possint; filii vero Onundi Hlunni[1] et Kolbein Strinevus cum militibus, qui ceteros strenuitate præstant, in Eyris ad pontes custodiendos se continento. Non quantas putatis Rex Sverrer copias habet; naves militibus parce sunt instructæ, ut singula seminterscalmia, ubi maxime, singulos habeant propugnatores. Nonne videtis stromatodesma ab iis in interscalmiis alte collocata? Num hæc pro hominibus habetis? Birkibeini adeo sunt exsecrati, ut gladii eorum haud dubie obtusi sint, ipsique impetum

[1]) Lyni, *G*, *B*; Syni, *F*.

facere non audeant. Bono sitis animo; nunc Sverrer præsenti fato impedietur, si navibus impetum faciet; fieri potest, ut in oppugnando ostendat, quod ei in Semsfjordo accidit. Episcopus cum aliquot clericis equo insidens in platea prope ædes suas versabatur, quo tempore, utrinque clamore sublato, oppugnatio fieri cœpta est. Rex Sverrer naves tanta vi appulit, ut objectæ onerariæ frangerentur. Cum vero Bagli aliquot naves ante pontes submersissent, Birkibeinis appulsus haud commode successit, mox sagittis et missilibus utrinque conjectis, per onerarias transcendere cœperunt. Bengeir Longus et Botulvus Hafuris[1] filius primi in pontes evaserunt; sed extemplo vir quidam Anglus Bengeirem gladio appetiit, negans eos illuc escensuros. At Bengeir, gladii clypeique tractandi peritissimus, vibrato gladio Anglum subter clypeo percussit, qui ictus infra nasum inflictus, maxillis perfractis, partem attactam penitus abscidit. Quo facto complures Birkibeini in pontes egressi sunt, Baglis strenue resistentibus, eoque loco res subito impetu gerebatur. Hic aliquis militum episcopo: jam celeriter provehitor, nostri enim cohortatione tua egent; nunc enim gladii Birkibeinorum satis acuti nobis esse videntur. Tum episcopus: jam avehamur, nunc enim diabolus (vinculis) exsolutus est. His dictis, citatis equis ex oppido profugientes, cursum non prius stiterunt, quam in Gjollurasum venissent, eoque loco copias exspectabant. Gregorius Jonis ac sui ad Eyras prope ostium amnis appulerunt, quo loco brevia ante litus se late extendebant, ubi vero naves in vadis hærebant, in mare desilierunt, et ad terram vadarunt, deinque in litus egressi sunt. Cohors Baglorum, quæ

[1]) Afuris, *F*; Aufuris, *A*; *omitt. G.*

supra ad Geitabruam steterat, cum Birkibeinos escendisse videret, tam vehementem in eos impetum dedit, ut pedem referrent, et ad naves se reciperent, aliis cadentibus, aliis in mare se præcipitantibus. Conscensis navibus, extrorsum ad Thrælabergum appulerunt, ibique in terram egressi sunt, indeque per campos in oppidum contenderunt. Quo viso, Bagli Geitabruam transgressi adversum eos tetenderunt, alteraque vice acre prælium inter se commiserunt. Hakon regis filius ad litus argillosum appulit, primoque tanta vi, ut celoces in aridum excurrerent; confestim e navibus effusi aciem instruxerunt, et adversus Baglos successerunt, primo eminus missilibus, mox cominus gæsis rem gerentes. Bagli eodem manentes loco ictus non exspectarunt, sed sursum a boreali oppidi parte aufugerunt. Quos insecuti Birkibeini, quoscunque assequi poterant, interfecerunt; pars in oppidum revolantes, eos qui in pontibus stabant, a tergo adorti sunt. Tum quoque Sigurfluga, vexillum regis Sverreris, in pontes evaserat; eoque ipso momento Bagli et oppidani, alii sursum ex oppido, alii in ædes profugerunt. Rex Sverrer per plateam Longam egressus, cum in semitas venisset, in campos respiciens pugnantes conspexit; itaque amni supra oppidum trajecto, extrorsum per campos contendit: hic Baglos a tergo adorti, plurimam partem militum, ibi quæ fuerat, interfecerunt. Birkibeini, explorantes oppidum, effractis ædibus Baglos vivos ceperunt, quorum complures interfecerunt, multi effugientes ex oppido in superiora contenderunt. Cohortes Birkibeinorum aliæ in campis, aliæ in superioribus ad Martostokkos constiterant, Baglosque, prouti occasio ferebat, exceperunt; hic magnus hominum numerus cecidit,

multo tamen plures ex Baglis, hac vero vice plerique principes eorum evaserunt.

De rege Sverrere et militibus.

136. His confectis rebus rex Sverrer universas copias in Martostokkos tuba evocari jussit, eoque loco apud milites concionatus hunc in modum verba fecit: Deus grata mente colendus est, quod Christus non minus nunc, quam antea, nos in reportanda victoria præsenti suo auxilio adjuvit; atque opinor Nicolaum, vulpionem, non sine aliqua cordis palpitatione salutem fuga quæsisse. Palam vobis facio, me velle classem ad Hofudeyam evehi, ne quam cladem ab ipsis aut incursionibus eorum accipiamus, si qui forte erunt, qui reverti ad oppidum velint, nostros langvescere in oppido mersos vino opinati. Itaque ad naves reversi milites, faciunt quæ rex præceperat, omni ex oppido, antequam discederent, pecunia sublata, quod coloni et mercatores arma adversus regem tulerant. Naves longas, quotquot aderant, captas plerasque incenderunt, Bokaskreppam, quam episcopus Nicolaus duxerat, et Gorsudam[1], quam Hidius olim faciendam curarat, abduxerunt. Hidius Bokaskreppam accepit; Vidsiam, quam antea habuerat, incendit, clavis velisque servatis, cum rudentes colonorum essent. Interea rex, ad Hofudeyam consistens, prædam in campum, in meridiana insulæ parte situm, exportari, et in quatuor partes dividi jussit. Quo facto concione tuba advocata, orationem ad suos habuit. Tum milites perticam subire, inirique numerum jussit, quas haberet copiarum reliquias, quæ [quatuor millia octingentos excedere[2] repertæ sunt. Tum quoque advenit sacerdos aliquis, ab episcopo

[1]) Gulsudam, *B.* [2]) decem et octo millia efficere, *G.*

Nicolao missus, literas, quas episcopus conscribendas curaverat, ad regem Sverrerem perferens; in quibus scriptum erat, episcopum velle in gratiam cum rege redire. Rex respondit, eum hoc antea fecisse, parumque fidem præstitisse: neque satis scio inquit, quo pacto ista confiat gratiæ reconciliatio; lubens autem pacem Nicolao concedam, si ipse in meum congressum venerit, eique meis verbis renuntia, multa mihi videri ad laudem gloriosiora, quam ipsum potestati meæ traditum interficere; pro lubitu faciat, veniat, si visum fuerit. Tum rex a militibus et evocatis postulavit, ut sibi omnia captiva armamenta navalia quindecim auri selibris coemere liceret. Illis autem æstimantibus, non tertiam solvi veri pretii partem, si tali conditione uteretur, Sigvaldius Karlus et Sigurdus Modastadensis, Eystein Rognvaldi compluresque alii progressi, armamenta et vela, veluti ceteram prædam, in quatuor partes distraxerunt. Quo cognito rex e navi excurrit, vimen, quod manu forte tenebat, vibrans. Hic cum plerique, regem iratum esse animadvertentes, abjectis quæ manibus tenuerant, diffugissent, Sigvaldius manens non recessit; quem rex duobus verberibus transversas scapulas percussit. Cum vero Sigvaldius cædenti resistere nollet, rex destitit, conquestus, male eos facere, qui imperata sua violarent; se postulare, ut quæcunque ad tuendam oram maritimam pertinerent, sibi concederentur. Quod et factum est, rege quantum ipsi pecuniæ videretur numerante. Die tertio (Mercurii) milites ad divisionem classico evocati; tum quartæ sortibus ductæ; post hæc suam quique quartam in duodecim partes distribuerunt, deincepsque præda divisa est, donec in partes singulares postremo transiret. Quæ præda tanta erat, ut singuli bi-

nas selibras ponderatas sortirentur. Eo loco dimidium mensem constitit.

De Baglis.

137. Jam ad Baglos, qui fugerant, redeamus. Principes et robur copiarum mediterraneo itinere per Uplanda profecti, inde septemtrionem versus Nidarosum in Thrandheimo pervenerunt. Cumque ad arcem Steinbjargensem venissent, arcem militibus cinxerunt, seque eo loco tentoria fixuros denuntiarunt. Arcem tenebant Thorstein Kugadus, Bjalvius Skinnstakkus et Asgautus, octoginta[1] milites habentes; quibus cum neque arma, neque cibaria aut potus deessent, nihil Bagli efficere potuerunt. Dein advocatis oppidanis conventum in cœmeterio ædis Christi habuerunt, stipendium oppido imposuerunt, impensas bellicas pagis imperarunt. Nunc consvetudine Birkibeinorum usi, incolas jusjurandum fidelitatis adegerunt, se factionem sibi regive suo adversariam non secuturos. Quibus actis ad arcem ascenderunt, diuque tela in castellanos conjecerunt; quo facto inter se exclamarunt. Episcopus Nicolaus Thorsteinem compellans: indignum est, arcem a te, homine excommunicato, teneri; alio loco plus damni facies: manum enim[2] Godrekstados, domum tuam, mittemus, quæ omnes res, quæ ibi sunt, diripiat, ignem tectis injiciat ædesque incendat. Post hæc Thorstein advocato Bjalvio demonstrat, imprudentium esse, arcem diu tenere, si eam obsidere vellent. Quorum colloquii is exitus fuit, ut inter eos de arce dedenda conveniret, ceteris castellanis hujus consilii ignaris. Occultæ fores ad arcem ducebant, quo accedens Thor-

---

1) amplius octog., *B;* amplius quadraginta, *G.* 2) Steigum et, *add. B;* Steinum et, *F.*

stein colloqui cum Baglis potuit. Huc cum Gudbrandus Juvenis ad eum processisset, consilia inter se contulerunt, hortante Thorsteine, ut Bagli primum in oppidum descenderent, vesperi vero, insperantibus castellanis, redirent: tum has eædem fores ut apertæ sint, curabo. Gudbrandus vicissim nomine Baglorum omnibus castellanis incolumitatem, armorumque ac vestium liberum usum pollicitus est. Dein Bagli in oppidum descenderunt, vesperique ad arcem adscenderunt; tum Thorstein pseudothyrum aperit, qua Bagli ingrediuntur. Accidit hoc eo tempore, quo castellani cœnabant: qui animum non prius adverterunt, quam arx Baglis plena esset. Castellani, vita donati, vestes quibus utebantur retinuerunt; paucis arma, nemini pecunia reddita. Asgautus ac Bjalvius extrorsum in pagum iter converterunt, Thorstein Kugadus Baglis operam suam addixit, eosque comitatus est. Bagli, occupatis omnibus pecuniis, quæ in arce erant, omnes domos, quotquot ibi erant, inflammarunt; mortuum corpus, ibi repertum, in puteum dejecerunt, saxaque superinjecerunt, donec repletus esset; oppidanos convocarunt, qui muros lapideos, antequam abscederent solo æquarent; omnes naves longas regias, antequam digrederentur, incenderunt. His confectis rebus iter in Uplanda converterunt, magnam pecuniam in hac expeditione lucrifecisse sibi visi.

Rex Sverrer conventum colonorum agit.

138. Hoc de rege Sverrere narrandum est, quod, cum e sinu Osloensi solvisset, cursum meridiem versus in Godmarem flexit, sinumque ingressus ad terram meridianam, quo loco Fyrileiva dicitur, appulit, conventuque colonorum indicto, eis crimini dedit, quod adversus se in Semsfjordo copiis collectitiis interfuissent,

aliumque regem se vivo sumsissent. Helgius nomen erat viro, qui regis orationi respondit, his verbis usus: haud multi ex nostris pagis in ista factione fuerunt, quique fuerunt, haud satis ratione constiterunt. Nos hujus criminis haud merito insimulari existimamus; ea enim ætate sumus, ut prius providere possimus, quam in invia dejiciamur, etiam leges Norvegicæ et jus procerum adeo cognita nobis erant, ut noverimus, quo loco Norvegiæ rex ex legum nostrarum præscripto creandus sit; scilicet arbitramur, neminem pleno imperii jure gaudere, nisi qui comitiis Eyrensibus, in Thrandheimo Norvegiæ habendis, creatus sit. Itaque, domine, qua prudentia es, intelligere potes, nos non adeo esse stultos, ut factionem, tantillis opibus sublevatam, tibique, domine, adversariam, nullo respectu sequeremur. Quam rem ita dicendo persecutus est, ut regi oratio ejus bene placeret. Multæ præterea orationes in eisdem comitiis habitæ sunt, quarum singulæ ad gratiam reconciliandam spectabant.

De rege Sverrere et colonis.

139. Post hæc discessit rex, et in Nautasundo constitit. Aliquorum negotiorum causa suos trans silvam quandam misit, quam insidentes Bagli impetum in eos fecerunt, et duodecim ex eis interfecerunt. Post hæc rex ad Svanshalsum[1] appulit, inde orientem versus ad Albim navigavit, ubi omnis incolarum multitudo in silvis delitescebat. Rex, missis nuntiis, colonis edixit, ut ad se gratiæ reconciliandæ causa venirent, pacemque pollicitus conventum indixit. Illi vero, culpæ sibi conscii, ad condictum venire cunctabantur, tempusque extrahebant. Quo factum est, ut milites moræ pertæsi occultos

[1]) Svanhalsum, *B*; Svanholum *F*.

conventus agitarent et expeditionem interrumpere cogitarent, stimulati hortationibus Olavi, Beitstokki dicti, qui unus ex stipatoribus regiis erat. Quo cognito rex Olavum comprehensum interfici jussit, quam ob rem ceteri ad consilium exsequendum segniores facti sunt. Rex iterum colonis conventum indixit, ni venirent, omnes pagos eorum inflammaturum minatus. Itaque coloni descenderunt et conventum cum rege habuerunt; et factum tandem est, ut multam perduellionis arbitrio regis permitterent, posteroque die multa boum centenaria multasque alias res in impensas classicas, vacationem et multas deportarent. Post hæc rex septemtrionem versus in Vikam reversus, Osloam se convertit, eo quod cognoverat, Baglos a partibus septemtrionalibus Thrandheimo profectos Osloam se conferre statuisse. Rex obviam eis in superiora contendens, cum Gjollurasum adscendisset, cognovit, eos per superiora meridiem versus deflexisse, ut primum regem in oppido adesse cognovissent. Itaque rex Sverrer Osloam reversus, indeque Tunsbergum profectus est. Hinc Philippum dynastam, filium Birgeris Brosæ in lacum Mjorsum misit, ut ibi considens occasionem captaret impetus in Baglos faciendi; eodem etiam Hidium fratrem mittere statuit, sed ille paratus non erat. Rex Tunsbergo profectus Bergas cogitavit; ex oppido solvens secundo vento utebatur, Hidio cum cohorte sua ibidem remanente. Rex in Helgasundum navigavit; hic audit, Sigurdum dynastæ filium a borea prænavigasse, a cujus profectione Hidio suisque periculum metuebat; quare primo mane advocata concione, sic locutus est: res nostrorum, quos reliquimus, in dubio versari mihi videntur, periculumque Hidio fratri imminere puto, ille enim

me, cum universa classe septemtrionem versus proficiscentem, pro satis certo exploratore habens parum sibi suisque cavebit; vereor autem, ut portus nos satis tutos præstiterint. Tum rex sumtas omnes celoces et navigia leviora milite quam optime instruxit, quibus conscensis ipse Sigurdum quærere instituit.

Hidius compluresque Birkibeini a Baglis interfecti.

140. Interea Sigurdus, qui sibi jam præcaverat, cursu extrorsum deflexo, in insulis quibusdam parvis, quæ Sveini appellantur, delituit; inde classem regiam, quæ cursu publico per interiora navigavit, conspexit. Insequenti nocte Sigurdus cum suis in oppidum profectus, Hidium suosque omnino imparatos oppressit. Bagli in oppidum irrumpentes, extemplo, quo loco se Birkibeini continerent, animadverterunt. Nimirum hi in ædibus Aslevianis hospitantes, in cubiculo meridiano potabant; qui cum inermes plerique excurrissent, quo quisque loco est deprehensus, interfecti sunt, neque eis ad sacras ædes, quæ omnes eo tempore occlusæ erant, aditus salutis causa patuit. Hidius e cubiculo meridiem versus ad tabernas coquendæ cerevisiæ se abripuit, et subter tabulis tecta domuum interjectis delituit, quod, Baglis undique circumsedentibus et observantibus, ex oppido se ejicere non audebat. Postero mane, ubi illuxerat, Bagli oppidum explorantes Birkibeinos, quocunque loco deprehensos, interfecerunt. Hvitingus, unus ex emissariis Baglorum, Hidium invenit. Hunc Hidius, ne se indicaret, dato annulo aureo exoravit. Quod cum adolescens liberaliter pollicitus esset, tamen, ut primum Baglos convenit, supplicem prodidit; itaque Hidius prehensus et occisus est. Confestim eodem die Sigurdus dis-

cessit. Unacum Hidio amplius quadraginta viri ceciderunt, quo in numero complures aulici.

Congressus regis Sverreris et Sigurdi dynastæ filii.

141. Rex Sverrer, classe primo Tunsbergum appulsa, cum esset de rebus ibi gestis certior factus, militibus palam fecit, se Sigurdum, si qua ratione deprehendi posset, conquirere velle; statimque solutis navibus ortum versus trans sinum Foldensem devectus, cum Sigurdum jam orientem versus in Vikam profectum comperisset, eum insecutus est. Cum vero brevi spatio inter se abessent, Sigurdus, de itinere regis certior factus, cursu per Lanasundum directo, Beviam navibus intravit. Paulo post rex Sverrer eodem delatus, impetum in eos fecit. Sigurdiani, tentoriis raptim detensis, tela conjecerunt; quorum cum plerique e navibus egressi essent, antequam regia classis advolaret, jam Birkibeinis in terram evolantibus extemplo in fugam se conjecerunt. Cum Birkibeini Sigurdum pontem transcurrentem insequerentur, plurimaque Sigurdianorum pars jam transisset, aliquot eorum eo loco ceciderunt, Bagli vero, ponte interrupto, in mediterranea aufugerunt. Birkibeini navibus cum omnibus rebus, quæ in eis erant, potiti, celocium alias secum abduxerunt, alias incenderunt. Quibus rebus gestis rex septemtrionem versus profectus Bergas contendit, ibique hiemem transegit.

De Birkibeinis et Baglis.

142. Præcedenti autumno classis majorum navium, ab rege in Helgasundo relicta, recto cursu septemtrionem versus Bergas, indeque in Thrandheimum navigavit. Eyolvus Aflii[1] filius, [Eirikus Haensis[2] et Arnius Skadaredus primi

[1]) Haflii, *F.* [2]) Hæensis, *F, G; ab signo omitt. A.*

omnium cum tribus navibus advecti, Baglos in oppido versari, multisque damnum intulisse compererunt. Birkibeini classem noctu sub diluculum Holmo appulerunt. Eirikus ac sui duabus navibus per ostia fluminis remis subvecti sunt, Eyolvus autem, navibus intra arcem ad litus arenosum adpulsis, cum suis ad pontem versus extra oppidum contenderunt. Bagli animum non prius adverterunt, quam Birkibeini oppidum ingressi tubas inflarent; tum vero alii in templa confugerunt, alii pontem versus profugientes, in percussores eo loco constitutos inciderunt, alii alio discurrentes saluti consuluerunt; complures sunt interfecti, nonnulli vita donati. Hæc tribus ante festum Andreæ noctibus acciderunt. Birkibeini naves in Eyris subducendas curarunt, resque oppidanas et præfecturas provinciales administrarunt. Insequenti hieme post festum jolense Bagli Jonem Macrum sub specie visendi ejus interfecerunt. Vir quidam, nomine Solvius, ad fores accedens, Jonem prodire januamque aperire jussit. Cujus voce cognita Jon ad ostium progressus est. Huic Solvius: aperi fores, nova quæ tibi referam habeo. Læta afferri optarem, inquiens Jon, obice remoto fores aperuit. Solvius eum confestim gladio transfixit, ut cuspis e tergo exstaret. Quem Jon eodem ipso temporis puncto, prehenso collo, pronum sibi subjecit; cum vero brachio extenso gladium, qui juxta lectum pendebat, prehendere vellet, deliquium animi passus cecidit. Eo tempore Bagli tantum copiis valebant, ut ingentes greges militum eorum totam Vikam et Uplanda occuparent. Halvardus Sastadensis futurum eorum regem tunc servabat. Illi eo tempore se in Uplandis continebant;

elapso vero festo jolensi monte superato per silvam Updalensem in Rennabuum descenderunt, ibique Ivarem, procuratorem regium, et Thorlevum Styriam[1] interfecerunt. Inde Orkadalum intrarunt, ubi interfecto Einare Skitinbeinio, Skeggioque, Egge in Skauna incola, occiso, in oppidum contenderunt. Gunnar Galin et Eindridius Rakkius, qui effugerant, nuntium de his rebus in oppidum pertulerunt. Gunnar in Eyras profectus ignem navibus longis injecit, quod eas igne absumi, potius quam usibus Baglorum inservire maluit; navibus autem ignem tardius concipientibus, a Baglis necopinato est oppressus, et unacum comite (Eindridio) interfectus. Hoc accidit duabus noctibus ante festum Brettivæ. Tum Bagli oppido potiti sunt; nam cum complures Birkibeini, qui jam antea famam de adventu Baglorum acceperant, aufugissent, oppidum nemine resistente occuparunt; multis petentibus et se potestati eorum tradentibus incolumitatem concesserunt, eoque loco ver transegerunt. Dein impensas in classem toti Thrandheimo imperarunt, naves deduxerunt, et omnia quam diligentissime ad defensionem compararunt. Interea Birkibeini, in campis et silvis degentes, regem Sverrerem adventurum, ut suos multis laboribus eriperet, exspectabant. Hoc tempore Ingio regium nomen a viro, nomine Bardo, impositum est. Bagli impensas classicas et copias receperunt, præfectos provinciales constituerunt, navibus suos præfecerunt. Erant hæ copiæ numerosæ et bene ornatæ. Vere procedente, classe in sinum interiorem[2] vecti ad Raudabjarga constiterunt. Una ante festum Halvardi hebdomade prælium factum est.

---

[1]) Skyriam, *F.* [2]) exteriorem. *G.*

Prælium ad Thorsbjarga.

143. Rex Sverrer, celocibus et navigiis levioribus Bergis comparatis, magna celeritate cursum contendit, Baglos ex inopinato, ut antea semper fecerat, oppressurus. Cursu feliciter confecto, Agdanesum prætervectus, navem ex classe Bagliana in portu, qui Solvius dicitur, offendit; quam invadentes Birkibeini magnam propugnatorum partem interfecerunt, reliquos in terram ejecerunt. Hornborium prætervecti, uni Baglorum celoci occurrerunt, qui navi littori appulsa, parte suorum interfecta in terram excurrerunt. Dein Birkibeini trans sinum ad Reinum remigarunt; hic Baglos cum navi viginti transtrorum offenderunt, quorum plurima parte interfecta, reliquos in terram exire coegerunt. Birkibeini omnem prædam ceperunt, et erant qui etiam navem secum abducere vellent; quæ remis acta cum adæquare cursum celocium non posse regi videretur, eam reliquerunt. Bagli vero, adremigantes Birkibeinos conspicati, tentoriis navalibus dereptis, naves, quarum septem omnesque magnas habebant, loco Thorsbjarga dicto conjunctas inter se copularunt. Vento aquilone ex interiori sinu alacrius spirante, naves Baglorum stantibus malis secundo vento ferebantur. Rex autem Sverrer, cum quo loco Bagli essent conspicaretur, classicum cani, vexillum erigi et committi prælium jussit. Birkibeini classem remis in aciem propulerunt, et utrique aliquamdiu tela inter se conjecerunt; Birkibeinis vero classem Baglorum remigio circumvectis et a venti plaga constitutis, sive a breviori sive a longiori liberet spatio, abesse licuit. Birkibeini se altitudine navium multum superari sentiebant, nec sine causa: nam celoces[1]

[1]) proræ celocium, *B, F.*

eorum tantum ad pluteos laterales navium Baglianarum pertinebant. Hic diu et acriter tela inter se miserunt, neque vero Birkibeini tam prope accesserunt, ut Bagli naves eorum falcibus proralibus apprehendere possent; homines ex utrisque ceciderunt, complures vulnerati. Quod posteaquam rex animadvertit, suos re ita comparata nihil proficere posse, receptui signum dedit; cui dicto audientes sui celoces extra jactum teli avectas una constituerunt. Tum rex suos ita est allocutus; jam Birkibeini, quales antea fuerunt, esse destiterunt: neque enim prisci illi Birkibeini ita, uti vos, talaribus induti tunicis cum hostibus concurrerunt; illi tunicas habebant breviores et arctiores, sed animos fortiores. Nec vero hoc loco morari conducit; aut oppido adremigandum nobis est, aut aliter vos fortes viros præstate, et ita in hostes impetum facite, ut sciatis, utri gladios gerant acutiores. Hic Birkibeini, rege nondum perorante, conclamarunt, alii alios adhortantes, primoque tanta vi in hostes remis contendebant, ut celoces ad naves longas allidereutur; atque impetum, partim hastis fodientes, partim gladiis ferientes, tam vehementer tamque acriter fecerunt, ut Bagli sese objectis clypeis defendere et pedem referre cogerentur, cum jam Solmundus Systrungus cum quinque de suis in navem Gudbrandi Juvenis transcendisset. Tum, Gudbrando suos hortante, ut illos de navi ejicerent, Bagli impetum tam vehementem fecerunt, ut Birkibeini, parte suorum interfecta, ex navi dejicerentur. Quo facto Bagli acerrime instabant, tela et lapides ingerentes; qua in re altitudo navium multum eos adjuvabat, nam saxa tantæ magnitudinis in Birkibeinos devolverunt, ut neque vis eorum ferri, neque pondera sustineri possent; quare

complures Birkibeini ceciderunt. Quorum naves cum Bagli injectis manibus ferreis retinuissent, illi unum omnes consilium ceperunt, quod alium ab alio doceri opus non erat: nimirum contis in naves majores incussis, quisque quo potuit pacto se exsolvebat Illi, qui in navi regia erant, item Nicolaus Vestnesensis, manum ferream removere potuerunt. Eo loco Solmundus Systrungus cum omnibus sociis navalibus cecidit, præterea alia celox Birkibeinorum vastata est, quam utramque navem Birkibeini receperunt. Nicolaus vulnus accepit, casside telo transverberata ictus, parvo ad speciem vulnere. Tum rex Sverrer: cum in præsenti nullam facultatem habeamus cum hostibus pugnandi, introrsum ad oppidum classem ducemus. Hinc factum est, ut Birkibeini naves averterent.

Plura de Birkibeinis et Baglis.

144. Vir quidam, nomine Ogmundus, dictus Vagapungus, ex Uplandis oriundus, olim præfectus Baglorum, qui tum Orkadalum provinciam habebat, navi præerat, quam Eyolvus[1] præcedenti autumno eo adduxerat; is, nave [extra ad Ingardalum[2] sub rupe, loco, qui Rafnasus dicitur, appulsa, inde Birkibeinos et Baglos ultra sinum congredientes conspexit; sed orta altercatione, cum alii suis opem ferre, alii in terram egredi mallent, ea navis nulli Baglis usui fuit. Rex Sverrer cursum introrsum per sinum dirigens, intra ostium Thinæ[3], hoc inter et Thraungium[4], uni occurrit navi Baglorum, cujus vectoribus in terram compulsis, cursu in sinum Fladkensem directo, duas naves se ad Klepstados in terram ejicere coegit; inde ad oppidum successit, ibique se continebat. Quem Bagli cursu

[1]) Haflii filius, *add. B.* [2]) Margdalum, *G; a signo omitt. F.* [3]) Nidæ, *B.* [4]) Throngvium, *F.*

converso insecuti sunt, quod credebant, regem Sverrerem in oppido versantem facili negotio capi posse; copias enim habebat exiguas et vulneratas, multi fortes viri ad Thorsbjarga eodem die ceciderant, complures adeo erant saucii, ut re in discrimen commissa armis ferendis impares essent. Sed ad oppidum delati, classem ad Eyras appellere non ausi sunt, quod credebant, si cum his copiis quas in Thrandheimo coegissent, in terram egrederentur, parum fidelem sibi operam præstituras, contra ea, ut quisque primum terram pedibus attigisset, eo se conversurum, ubi rex Sverrer versaretur, aut ipsorum domicilia essent; quibus rebus ab appellendo deterriti, classem ad Holmum constituerunt. Interea rex Sverrer in Eyris versabatur, ad impetum excipiendum, si eo se converterent, paratus. Tum Baglis re deliberata optimum factu visum, meridiem versus Bergas contendere, totamque sibi terram subjicere, non curantes, quas in partes Sverrer celoces suas raperet, rati, quo loco cunque congrederentur, si navali pugna dimicandum esset, nullas opes ad resistendum habiturum. Nicolaus Vestnesensis vulnus quod acceperat, quod levius esse putaret, nihil curavit; quo affectus cum se balineo commisisset, doloribus correptus[1], cum paulisper æger jacuisset, mortuus est; in quo eximio viro magnum damnum factum est. Deinde Bagli totam classem meridiem versus secundum litora duxerunt, diligenter caventes, ne sparsim irent; regis enim Sverreris consilia magis, quam navium multitudinem metuentes, verebantur, ne dispersi aliquam ab eo cladem acciperent. Classem in portum, Angrium dictum[2], appulerunt.

---

[1]) capite correpto, G. [2]) a septemtrionali parte Stadi situm, *add. F.*

Rex Sverrer ex oppido profectus, meridiem versus contendens eos insecutus est. Quem aliquo die ex Hereyis remigio devectum, cursumque meridiem versus præter Stadum dirigentem conspicati Bagli, tentoria deripuerunt, seque obviam ei classem ducturos minabantur; sed res effectu caruit. Rex Sverrer, talia nihil curans, quo cogitarat, contendit, illis paulo post subsequentibus.

De Sigurdo dynastæ filio et oppidanis Bergensibus.

145. Sigurdus dynastæ filius, ab oriente ex Vika profectus, regem Sverrerem Bergis septemtrionem versus discessisse cognoverat. Itaque Bergas nullo resistente ingressus, navibus regis Sverreris potitus est, Sygnabrandum, et quotquot alias nactus est, incendit. Aliquot ædibus militaribus ex oppido ad arcem deportatis, a parte arcis vento adversa, ubi castellanis maximo fore incommodo visum est, ingentem pyram struxerunt. Quod cum castellani animadverterent, reginæ Margaretæ, quæ in arce cum dispensatore suo Paulo Aurensi versabatur, nuntiarunt; quæ res non solum ei multisque aliis feminis magnum timorem injecit, sed et Birkibeini, qui in castello erant, cautionem adhibendam esse duxerunt. Paulus Aurensis id consilii dedit, ut orcam assulis, corticibus betulæ piceque completam accensamque in pyram nondum perfectam aut congestam, ad rationem Baglorum disturbandam injicerent; unde tanta est flamma excitata, ut nisi distractis omnibus quæ congesta erant extingvi non potuerit. Quæ cum magnam moram injecissent, tamen rem iterum aggressi distracta denuo congesserunt. Hic regina, Dei fidem implorans, oravit, ut hominibus exeundi potestatem pacti arcem potius dederent, quam flammis et incendio

afflari sinerent; monens, plus damni existere, amissis simul hominibus ac pecuniis. Itaque præcepit Paulus, ut omnes feminæ in domum, portæ arcis superstructam, quæ antea carceris vicem præstiterat, concederent, spem faciens fore, ut eis propediem venia ex arce egrediendi concederetur. Eo se contulerunt, spem libertatis animo præcipientes. Ut vero ingressæ domum erant, januam occludi claustroque obserari jussit. Nihil eis eorum, quæ ad vitam sustentandam pertinerent, eo loco deerat. Vir quidam, nomine Asgautus[1], quæstor, vas butyri vacuum, totum foraminibus pertusum, corticibus betulæ, stuppa et sulphure complevit, ignem eo injecit, et in pyram, quæ ita erat constructa, ut intus cava esset, projecit. Injectus ignis tantam flammam evomuit, ut exstingvi a Baglis nequiret, absumtaque pyra rem disturbaret; quo factum est, ut hostes in oppidum descenderent. Paulus vero ad reginam accedens, rogavit, quo se præmio ornare vellet, si rationem inveniret, ut Bagli abscederent. Dicentem, se multum velle pecuniæ in eam rem insumere, facereque, si efficere posset, hortantem, ille sigillum suum dare sibi jussit. Quo facto literas conscripsit, sigilloque reginæ munivit; has ad sacerdotem Antium[2] et Jordanem Skinnpetam dedit, in hanc sententiam: speramus, vos, etsi nunc aliquantum inclinetis ad amicitiam Baglorum, ea quæ ad regem pertineant, maximi æstimaturos. Verum tamen arcanas graviorisque momenti res, nobiscum a rege communicatas habemus, quas vobis referamus; ad boream in Thrandheimo cum adversariis suis rex congressus est, et nunc ut antea res gratissima accidit, ut rex victoriam reporta-

[1]) *sic ceteri*; Asgeir, *A*. [2]) Autium, *h. l. A*, *F*; Anbium, *B*; Aurium, *G*.

rit, amissis tamen viris illustribus, Nicolao Vestnesensi[1] et Solmundo Systrungo aliisque compluribus. Jam fide vestra confisus orat, ut Baglorum ex oppido abitum tardetis, ipse cras mane, mature aut serius, aderit. Erat in arce adolescens, e Vika oriundus, Baglisque notus; hunc Paulus adduxit, ut has literas sacerdotibus traderet. Eundem ex arce dato præsidio deductum juxta saxum aliquod reliquerunt. Quo animadverso Bagli, qui in statione erant, rem ita comparatam esse judicantes, ut si aliquis castellanorum aufugere vellet, clanculum ad saxum accedunt, jacentem ibi adolescentem inveniunt, prehensoque, quod eis notus erat, incolumitatem concedunt. Quærunt, quo cogitaret. Ille: literas, quarum argumentum ignoro, perfero ad [Antium sacerdotem[2] et Jordanem. Bagli captas literas ad Sigurdum dynastæ filium pertulerunt; qui cognito literarum argumento hostes propediem adfuturos intellexit Maneque sequenti diluculo militibus signum abeundi tuba dari jussit. Sacerdotes, Antium et Jordanem, qui perfidiæ suspicionem habebant, grandi pecuniæ summa multarunt. Quo facto Bagli discesserunt et meridiem versus contenderunt. Tum Paulus reginæ significavit, Baglos e sinu avehi; ipsa spectatum in arcem progressa est, Pauloque pro hoc callido invento prolixe gratias egit.

De rege Sverrere et Baglis.

146. Rex Sverrer eodem mane mature ad oppidum venit, extemploque ad arcem egressus, præfectos, Sigurdum Borgarklettem et Paulum Aurensem, convenit, hisque indicavit, se eo loco in præsenti brevi moraturum. Sigurdum allo-

[1]) Petro Rognvaldi filio, *add. B;* Petro Ragnio et Petro Steipere, *add. F.* [2]) sacerdotes, Aurium (Autium *F*), *G.*

catus: copias ab oppidanis poscito, inquit, et quantum nancisci poteris, assumito; fieri enim potest, cum proxime veniemus in oppidum, ut auxilio nobis opus sit. Eodem die rex Sverrer ex oppido solvit, et meridiem versus ad Siggjarvogum pertendit. Eodem vero die Halvardus cum copiis Baglorum in oppidum venit, extemploque ex oppido solvit, regem Sverrerem conquisiturus. Quorum vela conspicatus rex, suos classem e conspectu removere jussit: hos meridiem versus præternavigare sinamus. Hinc factum, ut Bagli meridiem versus contendentes eos præterirent, nec, quo loco Birkibeini delitescerent, animum adverterent. Qui ut primum erant prætervecti, rex classem quam celerrime Bergas septemtrionem versus reduxit, et ad arcem egressus suos convenit, quæsivitque, quantum militum numerum Sigurdus comparare potuisset. A quo cum audivisset, colonos nullam dictorum ejus rationem habuisse, nullaque re honori regis inservire velle, indicto conventu in oppido, orationem habuit in hanc sententiam: adhuc vos, Bergenses, perquam hostilem in me, ut antea, animum geritis, hoc oppidum fons est omnium bellorum, quæ adversus me excitata sunt. Omni tempore, postquam regnum accepi, vos gravissimis odiis me persecuti estis; quod quidem, viventibus Magno et Erlingo, aliqua ex parte concedendum vobis erat: nunc autem præter solum odium nihil est, quod bellatores et prædones adversus justum regem adjuvetis, et hoc pacto auctoritatem ejus deminuatis. Quam ob rem vero est simillimum, idem vobis quod antea usu venturum, ut quo majore nos contumelia afficiatis, eo semper deterior rerum vestrarum conditio reddatur. Id quoque sciatis, vos fortunas et membra, fortassis et ipsam vi-

tam, amissuros esse, nisi omnia, quæ postulem, polliceamini. Tum Finnus Forrædius (oppidi præfectus) respondit, regisque orationi se opposuit, et, quod attinebat ad postulata regis, in eundem locum devenit, ut oppidanos imperata detrectare appareret. Sed tamen res eo tandem perducta est, ut omnia quæ imperasset se facturos pollicerentur, eique centum et viginti milites, colonos et mercatores, darent. Rex Sverrer cum classe triginta celocium ex oppido solvit, cumque meridiem versus profectus in Salbjornos venisset ibique staret, Bagli Birkibeinos quærentes a meridie navigarunt. Hic rex classem prius quam animum adverterent contra eos duxit, eamque, a qua parte ventus spirabat, constituit, ut pro lubitu breviori longiorive abesse spatio posset. Hic aliquamdiu telis lapidumque conjectu pugnatum, sed regia classis, ut antea, altitudine multum inferior fuit, et tamen Birkibeini in adversa tela impetum audacter fecerunt, Baglique manus ferreas in aliquot navium regiarum injecerant, quæ tamen exsolutæ sunt. Birkibeini de victoria desperantes classem averterunt, et septemtrionem versus Bergas profecti, eo circa ortum solis pervenerunt, navibusque ad arcem, qua ad septemtrionem vergit, subductis, in oppido se continebant. Eodem die circa meridiem Bagli ad oppidum appulerunt, egressumque facere, prohibiti a Birkibeinis, frustra conati sunt. Rex copias suas in tabernaculis circa arcem disposuit. Bagli, cum aliquot noctes ante oppidum extra ad Nordnesum stetissent, discesserunt, et in Sognum profecti cibaria collegerunt; septem noctes abfuerunt, quo temporis spatio Jonem Trinum, præfectum regis Sverreris, comprehensum incolumitate donarunt, et in suas partes traxerunt; ac plures præterea Bir-

kibeini ad Baglos transierunt. Bergas reversi, ad meridianum Nordnesi latus extra monasterium appulsis navibus, egressi sunt, nec Birkibeinos metuebant, quippe quos in sua potestate esse arbitrarentur, eosque lacessebant, utrisque inter se, prout occasio ferret, tela conjicientibus. Birkibeini crebro in oppidum itabant, et variis quidem de causis: quidam uxores ibi habebant, multi potationes quærebant; crebroque sub domuum parietibus latentes tela in Baglos miserunt, quare Bagli impetum Birkibeinorum metuentes in oppido versari non ausi sunt. Sæpenumero Bagli in campos Jonicos progressi, acie ibi instructa, Birkibeinis copias suas ostentarunt, eos inclamarunt, animique imbecillitatem objecerunt; mox solutis ordinibus, complures ad ludendum se contulerunt atque se oblectarunt, significantes se Birkibeinos nihili æstimare. Habebant enim Bagli exercitum satis magnum ac splendidum, armisque et vestimentis bene ornatum.

Oratio regis Sverreris ad Birkibeinos.

147. Rex Sverrer, Baglis ludos agitantibus in campis Jonicis, advocata concione in ripis supra ædem Nicolai, verba fecit, dicens: ea fere nos Birkibeini conditione sumus, ut brevibus intervallis aliquo periculo ingruente opprimamur; etiam nunc a vobis, sicut antea, fortem operam exspectamus: rara enim invenientur exempla, quemquam regi suo fidelius operam navasse. Qua re vos, Birkibeini, optime acquiescere oportet, quod ceteros homines animi fortitudine ac strenuitate præstatis. Nunc quidem Bagli de nobis pro lubitu consulendi potestatem se habere arbitrantur; atenim, ut spero, res aliter cadet, neque crediderim nos minorem in eos potestatem brevi habituros. Jam, si vos mecum habeam consentientes, non diutius feram eorum

ludibrium et cavillationem. Universi tamen, quid factu optimum sit, dispiciamus. Potestatem habemus, simulatque velitis, cum Baglis dimicandi; itaque suam quisque sententiam in medium proferat. Omnibus silentibus, rex: haud recte facitis, qui ad verba mea taceatis; id obsequii regi vestro præstare debetis, ut ejus orationi respondeatis, eique suam quisque mentem aperiat. Tum respondentes, rem arbitrio regis permittunt. Rex: præclare dictum, ut a vobis exspectaveram. Porro locutus est: una nobis præsto conditio est, ut arcem occupemus, qui locus ad defensionem præclare comparatus est, quamdiu commeatus suppetet, hoc vero deficiente, haud facile cibaria parari poterunt. Altera conditio est, ut in montes nos conferamus; quo facto Bagli nos insequentur, et agmen pro lubitu carpent; at ii, qui in fuga cadunt, famam nunquam consequuntur. Ea demum restat conditio, ad quam Birkibeini olim sæpius descenderunt, ut impetum in eos faciamus, remque armis ac telis decidendam committamus; quæ conditio, universis æquo loco consistentibus, nobis haud iniquior esse videtur. Respondent, universos dimicare, quam fugere malle. Tum rex: Bagli haud dubie concionem a nobis haberi animadvertunt, consilium ignorant; quare nos primum ad arcem conferamus, deinde in oppidum bini, interdum quaterni aut quini, septeni aut octoni descendamus, et universi ad ædem Olavi in interiori oppido conveniamus. Sic fecerunt. Quæ ratio Baglos fugiebat, semper enim Birkibeini hoc modo iter faciebant. Quum exercitus ad ædem Olavi convenisset, rex vexillum suum erigi jussit, atque sic locutus est: aciem non instruemus, sed acerrime in eos incurramus, nev alius alium demoretur, pro se quisque rem quam fortissime

gerat; quod quidem facere haud diu opus erit, nam Bagli, quales antea, tales etiam nunc se præbebunt, quorum pectora timor occupabit, ubi suos interfici viderint; scilicet, ut vulpes cauda, sic hi lingva plurimum valent. Acerrimum in eos impetum faciamus, neque enim ictus æquo animo accipient, qui domo a vase butyri conficiendi excurrerunt, nec unquam antea viderunt, quo modo præliantes Birkibeini arma tractare soleant. Procurrite, milites, Deus nos respiciat!

Prælium inter Birkibeinos et Baglos.

148. Hac oratione habita, illi cum clamore et adhortatione in campos procurrerunt; quumque ita adpropinquassent, ut telum adjici posset, extemplo gæsa volare cœperunt. Bagli se conglobarunt, aciemque instruxerunt, Sigurdo dynastæ filio ad signa consistente. Accidit, quod fore rex suspicatus erat, ut Bagli, qui erant in prima acie, fugam celeriter caperent, nec minus ii, qui impetum e longinquo prospiciebant. In ipso concursu complures ceciderunt. Baglis autem gradum referentibus Birkibeini ictus quam creberrime intulerunt, tam prope insistentes, ut universi extrorsum per campos, indeque præter cœmeterium ædis Johanneæ contenderent. Venientes in campos Bagli aliquantisper restiterunt, sed Birkibeinis gladios intentantibus cesserunt; qua contentione plus detrimenti, quam in illa superiore, acceperunt, pluribus adhuc suorum amissis. Inde a Birkibeinis ad naves repulsi, alii in mare se præcipitarunt, plerique in naves litori proximas evaserunt. Narvius, filius Halvardi Sastadensis, magnam navem ducebat, in quam tanta hominum multitudo se conjecit, ut navis in vada subsidens hæreret; dein advenere Birkibeini, quorum alii navem retinuerunt, alii socios navales oppugnarunt, multos gladiorum

ictus gratis iis inferentes; eo tandem exitu, ut Birkibeini navem propugnatoribus nudarent. Eo loco cecidit Narvius cum magna hominum multitudine, parte se in aquas præcipitante. Rex Sverrer, cum sui fugientibus instabant, propter exercitum equo vehebatur, gæsum manu tenens, manubrio tenus adeo cruentatum, ut sangvis in manus ejus deflueret. Qui cum introrsum præter ædem Johanneam præterveheretur, Baglus quidam adversus eum se convertit, qui equo vectus cum duobus gæsis, utrumque simul in regem misit. Rex, demisso quantum potuit infra equum clypeo, alteram hastam excepit, altera subter ventrem equi in solum devolante. Quum vero ille animadverteret, hastam regem non attigisse, gladium post hastam, quæ subter ventrem equi volarat, conjecit; simulque desiliens hastam e solo revulsam collegit, gæsoque interea humerum a rege impetitus, hastam excussit, gæso partem, quam hauserat, perrumpente. Rex equum tanto impetu in eum immisit, ut collaberetur, retentoque jumento prostratum pedibus conculcare instituit; sed ille jacens manubrio hastæ sursum impulso regem leviter perstrinxit, equus vero in furorem actus cursum corripuit. Vir subito exsiliens ad cœmeterium versus contendit, quem rex equo admisso insecutus, gæso transfixit, ut confestim exanimus humi corrueret. Dein Birkibeini rursus in oppidum contenderunt, et in arcem adscenderunt. Ex hoc tempore Bagli aliquantum ab ludendo deterriti, parumper exinde in terra morabantur. Nicolaus episcopus cum suis ad Toloholmum appulit, quam insulam vacuefaciendam curavit, positisque eo loco tabernaculis sacra celebravit, ibidemque magnam urbem capitalem ædemque lapideam educendam esse præcepit. Pars mili-

tum ad Nordnesum, pars propius ad meridiem se continebat. Inde Birkibeini per longiora intervalla in oppido versabantur, et in mediterranea commeatus parandi causa, quocunque vellent, per Baglos proficisci licuit, quo tempore Sunnhordis et Hardangris, qui antea Baglis copias et pecunias in classem miserant, prædia sua minus commode everri ab eis videbantur. Quam ob rem coloni nuntium ad Baglos miserunt, ut se resque suas tuerentur; Bagli autem pecora ad se compelli jusserunt, se ita ea conservaturos polliciti; itaque coloni ingentem boum multitudinem eo compulerunt et ad sinum Laxensem paverunt. Nocte quadam rex Sverrer, exercitu ad se vocato, arce egressus, per superiora supra montem profectus iter per interiora Alrekstados versus circumflexit, et rursus extrorsum secundum sinum Alrekstadensem ad sinum Laxensem, ubi copiæ Baglorum dispositis stationibus se tenebant, contendit. Quorum excubitores quo loco essent, per exploratores certior factus rex, sex milites præmisit, ut itinere quam maxime accelerato excubitores opprimere conarentur. Hi eo pervenerunt, ubi duo viri in statione erant, quorum alter obdormiverat, alter vigilabat, ex quibus hic gæso medium corpus transverberatus clamorem edidit, ille somnum oculis excutiens mortem obiit. Bagli clamore audito interrogarunt, quid excubitori accidisset, quod tantum clamorem tolleret. Quibus, qui interfecerant, responderunt, se ludicri ergo facere; genio indulgemus et nos oblectamus. Reversi exploratores interfectos excubitores regi nuntiant, qui rem præclare administratam esse prædicavit. Dein milites adversus hostes duxit tam tacite, ut non prius somno expergiscerentur, quam Birkibeini naves cum ipsis in terram pertraherent; eoque

loco magnam Baglorum multitudinem trucidarunt. Quo strepitu armorumque fremitu audito, Bagli, qui loco remotiori constiterant, hostes advenisse suspicati, omnes eo, unde clamor et strepitus armorum exaudiebatur, remis contenderunt, cumque adesse hostem certo cognovissent, in terram excurrerunt, prælium commissuri. Quorum adventum Birkibeini eodem loco non exspectantes, obviam iis occurrerunt, impetumque tam vehementem in eos dederunt, ut Baglis optimum quod caperent consilium esse videretur, in pedes se conjicere navesque repetere. Complures tamen, priusquam discessissent, amiserunt, multi in mare se præcipitarunt; indeque Bagli retinaculis solutis omnes naves extra ictum teli eduxerunt. Birkibeini pecora secum introrsum Alrekstados versus compulerunt. Bagli autem, clade explorata, magnum se militum numerum amisisse animadverterunt; qua re magna se affectos ignominia judicantes, ad ulciscendum magnopere stimulati sunt. Itaque cognoscentes, regem Sverrerem exiguam manum apud se habere, classem remis propulerunt, cursuque introrsum directo sinum Alrekstadensem intrarunt, navibusque in intimum sinum appulsis excurrerunt aciemque instruxerunt. Eo tempore clarus dies illuxerat, commodumque accidit, quod Birkibeini nondum præterierant. Rex Sverrer exercitum Baglorum conspexit, eosque insequendi sui haud pertæsos esse intellexit. Itaque apud milites concionatus, hunc in modum verba fecit: in magnam spem venio, fore ut iterum cum Baglis congrediamur; itaque in clivum adscendamus, indeque impetum in eos quam acerrimum faciamus, quo facto aciem eorum inclinaturam opinor. Birkibeini, superiori consvetudine usi, audacter procucurrerunt, tantoque impetu in

Baglos invaserunt, ut complures eorum, qui erant in prima acie, extemplo caderent. Eindridius Ljoxa nomen erat viro, qui Baglorum vexillum prætorium ferebat; is e Thrandheimo erat oriundus, ceterosque homines animi fortitudine et audacia præstabat. Hic vexillum strenue inferebat, ut obvium haberet Bergsveinem Longum, regis Sverreris signiferum: hi adeo prope inter se accesserunt, ut ictus commutarent, eo tandem exitu, ut Bergsvein vulneraretur, Eindridius caderet, signum Baglorum corrueret, quo viso Bagli fugam capessiverunt. Quos consectati Birkibeini ad naves pepulerunt. In hoc utroque impetu multi ex Baglis cecidere, plurimi tamen de evocatis. Rex Sverrer, pecoribus ad arcem compulsis, Deo pro victoria gratias egit. Sic commeatu bene proviso, ut cibaria non defuerunt, ita magna strenuitate fuerant comparata.

De dolis Birkibeinorum.

149. Bagli, arcis oppidique oppugnationem opinione difficiliorem experti, ab eis adeundis abstinuere. Sæpe accidit, ut Bagli, quinquaginta aut sexaginta numero in terram animi causa forte egressi, conspectis decem aut quindecim Birkibeinis, inter quos ipse rex esset, in naves refugerent. Interdum evenit, ut a Birkibeinis necopinato oppressi male mulcarentur, navesque inglorie atque turpiter fuga tumultuaria repeterent. Nocte festum Johannis præcedente rex Sverrer cum centum viginti militibus in oppidum descendit. Hi pænulas canonicorum e templis sumtas induti, quini aut seni, aut etiam pauciores, iter fecerunt, eoque pacto omnes una ad monasterium pervenerunt; inde in horreum aliquod quam occultissime se contulerunt, quod rex exspectabat, episcopum Nicolaum ceteros-

que Baglorum principes sacra eo die celebranda frequentaturos. Quidam, qui speculatorum munere fungebantur, pænulis monachicis induti in cœmeterio versabantur, qui bini una ambulantes egressum Baglorum speculabantur; Bagli vero in navibus se tenebant, exceptis lixis, qui scaphis ad terram vecti lignorum petendorum causa escenderunt. Birkibeini omnes, qui egressi sunt, comprehenderunt, alios interfecerunt, alios mutilarunt, ne quam famam ad naves referrent. Sacerdotem quendam navi egressum prehenderunt, qui interrogatus, an episcopus missam celebraturus esset, eum, cum paratus esset, egressurum in terram respondit. Procedente jam tempore aliquis splendide vestitus prope ab iis in terram egrediebatur; huic obviam processerunt; quos ille conspicatus, cum ei mirum videretur, monachos humilibus calceis rubrisque tibialibus uti, deflexit, neque propius eos accedere voluit. Quærentibus monachis, quam cito episcopus ad missam celebrandam adfuturus esset, Baglus respondit: cum paratus erit, egredietur; cur vero monachi humilibus calceis rubrisque tibialibus utuntur? Illi contra, "hoc tempore variat cultus", reponentes, impetu facto manibus eum prehenderunt; ille vero viribus quam vehementissime obnitens in pedes se proripuit, amentique et furenti similis ad naves decucurrit, episcopo nuntiat, se a sacris adeundis prohibitum esse, indicium veri nuntii afferens trajectum spiculo femur, quem missum Birkibeinis quam monachis similiorem esse asseruit. Episcopus et Reidar compluresque alii proceres ad egrediendum parati erant, alii scaphas jam conscenderant, cum hic nuntius allatus est. Rex Sverrer, cognito, Baglos nuntium accepisse, in arcem reversus est. Ex hoc tempore Bagli magis sibi cavebant.

Crebri impetus, jaculationes, egressusque facti sunt, qui memoria digni videri possent, sed hæc singula in uno libro non possunt exponi. Utrique alterius milites, prout occasio dabatur, prehensos interfecerunt. Complures Birkibeinorum, qui in pagis fuerant, ad Baglos transierunt, alii sponte sua, multi inviti abrepti. Hanc æstatem Bergensem appellarunt.

Bagli oppidum Bergas incendunt.

150. Nocte vigiliæ Laurentii res, a principibus Baglorum jam antea denuntiata, effecta est, causantibus, per opes et nervos Bergensium stare, quod rex Sverrer in arce sustineret; cujus consilii princeps episcopus Nicolaus ferebatur. Convenit inter eos, ut emporium Bergarum aboleretur, et usquam alio in Hordiam transferretur, quo facto intelligi posse, quem usum regi Sverreri arx præstitura foret. Episcopus omnia templa a Birkibeinis violata, hominumque excommunicatorum commercio contaminata esse, ut non magis quam alia lupanaria sacra essent, testatus est. Hac itaque nocte Bagli duas celoces lignis oneratas intra pontes remis propulerunt, ignem uno loco tectis quibusdam juxta templum Crucis subjecerunt, altero loco e regione pontium Foskensium ad ædes Finni præfecti, tertio apud ædem Mariæ. Nullum ab oppidanis remedium sistendo incendio profuit, neque res facile potuit administrari, omnibus pontibus detractis. Res a Birkibeinis non prius animadversa est, quam oppidum flagrare cœpisset, quo facto intellexerunt, nulla ratione succurri oppido posse; arci autem metuentes, ne succenderetur, vela madefacta igni opposuerunt. Pars oppidi infra plateam ab æde usque Crucis ad Sandbruam, et supra plateam ab Sandbrua introrsum ad ædem Nicolai exarsit. Tum sacra cruce a templo la-

pideo contra ignem elata vis incendii repressa est. Scrinium Sunnevæ per exteriora ad Sandbruam deportatum ibique positum est, neque eo loco incendium latius vagabatur, quod luculentum miraculum erat. Bagli celocibus in sinu excubantes tela in ignem miserunt, si qui domibus succurrere, aut incendium exstingvere vellent. Multi Bergensium, postquam Baglos tale consilium cepisse cognoverant, omnes fortunas suas, quas movere loco possent, asportarant, quorum alii in pagos, alii in arcem se suaque contulerunt. Episcopus Nicolaus in celoce, quæ ignem in oppidum importavit, versabatur, et semper, quo loco ignis exportaretur et injiceretur, præcepit; qua re in gravissimum odium incurrit. Hoc multis hominibus incommodum et damnum attulit, ita ut multi, qui antea divitiis abundarant, omnibus rebus spoliarentur. Quod factum Bergenses episcopo Nicolao sæpius exprobrarunt. Eo loco ædes Mariæ et quinque aliæ incendio absumtæ.

De rebus Birkibeinos et Baglos intercedentibus.

151. Paulo post rex Sverrer ex oppido cum centum et viginti militibus profectus, eo contendit, quo loco suos ingentia boum armenta collegisse cognoverat. Bagli, regis discessu cognito, in terram cum copiis egressi, per superiora ad templum Olavi in Bakkis (ripis) descenderunt. Birkibeini adversus eos cum copiis ex arce excurrerunt, relictis in Holmo triginta viris, qui custodirent, ne quæ naves eo loco appellerent. Tum Bagli aciem instruxerunt. Birkibeini, cum ornatas copias haberent, superioris temporis consvetudine usi, acie non instructa impetum statim in hostes facere et ordines eorum perrumpere statuerunt. Itaque primo in alterum cornu incurrerunt, ut Bagli cederent. Sed al-

tero cornu eorum sequente, circumdati et ab hostium multitudine oppressi, cum paulisper contendissent, intellexerunt, sibi nullam esse facultatem aut potestatem resistendi, et in arcem se recipere cœperunt, Baglis acriter instantibus. Hic complures ceciderunt fortes ac strenui viri, Sigurdus Borgarklettus, Finnus Færoensis, Thordus Lokius[1], Bita[2]-Karius, Einar[3] Bjarnii[4] filius, Bengeir Longus, Eindridius Peinius[5], [frater Eysteinis procuratoris, Halkelis Loensis filius[6], signifer Philippi dynastæ: hic exercitui dynastæ præfuit, tantaque erat fortitudine, ut multis gravissimis vulneribus acceptis, cum jam de salvo reditu desperare cœpisset, vexillo in solum defixo, prehensum utraque manu gladium ad utrumque latus cædendo vibraret, eoque loco caderet, insigni cum laude fortitudinis. Ceteri quoque omnes se pulcre tutabantur. Bagli eos ad ipsam arcem insecuti sunt; cum vero Birkibeini arcem ingrederentur, accidit, ut vir quidam arcem introiturus a Baglis, prehensis pedibus, retineretur, succurrentibus Birkibeinis et humeros prensantibus; qui cum inter se in diversum traherent, hominem in duas partes discerpserunt, eoque facto diversi discesserunt. Hæc vespere festi Mariæ gesta. Bagli quoque celoces ad Holmum adplicuerant, et Birkibeinos, qui ibi præsidio erant relicti, interfecerant. Bagli ad arcem subeuntes, quo loco naves subductæ stabant, injecto igne omnes incenderunt. Quo facto ad naves se receperunt, se rem præclare gessisse existimantes. Tum Bagli hos versus composuerunt:

Die lunæ primo mane munificus princeps,

---

1) Lokkus, *B*, *F*. 2) Rita, *G*, *F*. 3) *ceteri*; Eindridius, *A*. 4) Bjornis, *F*. 5) *G*; Pennius, *B*, *F*; *omitt. A*. 6) *a signo*, Halkel Loensis, *G*.

denuo ad arcem Sverreris successurus,
satellites suos advocavit. Milites Ingii
alacriter confluebant ad armorum rixam.
Viri ex adverso multas vexillorum
perticas erexerunt, diuque pugnarunt;
[Bagli in spiculorum grandine firmo gradu
stetere; naves, athletis fugientibus, arserunt!

Birkibeini vero hos versus reposuerunt:

Homo ille sordidus (careat successu
Thuvoskitus!) suos die Lunæ ad arcem
Sverreris adscendere jussit. Homines eo mane
alacriter ad rixam armorum concurrerunt.
Viri ex adversa parte multas vexillorum
perticas erexerunt, diuque pugnarunt[2].
Omnes Bagli excommunicatione tenentur;
Arsere naves, athletis fugientibus[3].

Rex in oppidum redux hanc pernicialem cladem esse existimavit, acceptamque suorum incuriæ et imprudentiæ tribuit.

Cædes domini Karli.

152. Post paulo rex Sverrer, præsidio in arce relicto, Bergis profectus, in Vorsiam, indeque ad Raudafjallum contendit; quo monte tum

---

[1]) Constructio: *mildingr kvaddi sína hirð mánadag, ár morgin, rèð enn a) ganga upp til Sverris borgar; menn Inga drifu hart til vápna sennu. Ítar reistu margar merki-stengr at b) móti, ok börðust lengi. Baglar stóðu í brodda hagli; skip brunnu, þá er kappar runnu.*

a) er, cum, quando, *F*, quod prætulerim. *b) á, G, F*, eod. sensu.

[2]) *a signo* [*omitt. G.*

[3]) Constructio: *Níðingr a) kvaddi sína til Sverris borgar mánadag: þúfuskitr þrífist eigi! Menn drifu þann morgin hart til vápna sennu. Ítar reistu margar merki-stengr at móti, ok börðust lengi; allír Baglar standa í banni; skip brunnu, þá er kappar runnu.*

a) mildingr, B (*miðjungr*, gigas, pro malo homine, conjecerunt priores èditores, metri restituendi gratia, quod Birkibeini non curarunt, cf. v. 3. et 7.).

altera vice, magnoque etiam cum labore, superato, cum suis in Sognum devenit, et in Aurlandsfjordo, vulneratorum recreandorum causa, moratus, inde iter septemtrionem versus in Thrandheimum confecit, ubi liberaliter exceptus est. Hic rex Sverrer res ibidem paulo ante gestas cognovit. Nimirum Bagli cum tribus celocibus in oppidum venerant, ducibus [Kinnado Elridæ filio[1], Thorsteine Kugado, Eiriko[2] Thrandheimensi. Antea in oppido versatus fuerat Karlus, filius Sörkveris regis, qui tunc in matrimonio habebat Ingibjargam, regis Sverreris filiam. Sed rumore aliquo de adventu Baglorum accepto, dominus Karlus vespere ex oppido profectus pontem transgressus erat, et in prædio Borga[3] dicto pernoctabat. Eadem nocte, cum jam dominus Karlus discesserat, Bagli in oppidum venerunt; qui, quo loco versaretur, certiores facti, eo nocte profecti, dominum Karlum cum tota sua cohorte interfecerunt; quo facto ex oppido discesserunt. Post hæc comitia in Eyris habuerunt, in quibus Thorstein Kugadus talem orationem habuit: scitote, oppidani, longe vobis abfore regem Sverrerem ad tuendas provincias Thrandheimicas. Deinde de rebus Baglos inter et regem Sverrerem intercedentibus, ut proxima æstate gestæ essent, exposuit; plurima commemorans de iis, quæ in his ingentibus eventis extrema acciderunt: regem Sverrerem copias suas ad arcem amisisse. Postremo dixit, regem ex arce excessisse, et in oppidum per mediterranea adventurum exspectari; non enim tantillum navibus valere, ut unum quidem scalmum haberet: Bagli navibus potiti sunt, multisque aliis, quæ antea in regis potestate fuerunt. Birkibeini quoque simulabant, sibi nullo modo resisti posse,

[1]) *add. G.* [2]) *ceteri;* Eindridio, *A.* [3]) Bergo, *F* (*G*).

singulosque suorum non minus quam sex[1] Baglos valere. Id quoque sciatis, tantam hac æstate rerum commutationem esse factam, ut ex Birkibeinis paulo pauciores, quam ipsi apud se retineant, in nostram potestatem pervenerint, qui cum hoc tempore apud nos versentur, haud deteriore rerum suarum conditione, quam apud Birkibeinos, vobis auxilium nequaquam ferent; nunc enim sibi intelligere videntur, quas fraudes Sverrer sacerdos jam diu exercuerit.

De Thorsteine Kugado.

153. Bagli ante regis adventum aufugerant, et e sinu discesserant. Rex Sverrer has omnes orationes diligenter perquisivit, cædem domini Karli, generi sui, ægerrime ferens. Bagli cum omnibus copiis suis a meridie proficiscebantur, ingentes naves habentes; in quo itinere ad Folsnam[2] appulerunt, ibique aliquamdiu morati sunt, sinum enim intrare noluerunt, quod regem Sverrerem iis locis versari cognoverant. Baglos, qui magnas copias haberent, inopia cibariorum laborare cœperunt; quam ob rem exercitum in pagos dimiserunt, parte copiarum meridiem versus in Mæriam et ad Borgundam usque proficiscente. Qui cum ostium Hefniense[3] prænavigarent, Thorstein Kugadus navem suam dedita opera in scopulum ejecit, eam fracturus. Quod cum fecisset, et se suaque ad terram devexisset, socii sui navales animum non prius adverterunt, quam ab iis noctu duobus comitatus aufugisset, monteque superato in Orkadalum pervenisset. Multi alii, qui in Thrandheimo domicilia habebant, castraque Baglorum hac æstate secuti fuerant, ab eis aufugerunt. Thorstein Kugadus

[1]) tres, *B.* [2]) Folksnam, *G;* Folknam, *B, F.* [3]) Hernæ, *G;* Havnæ, *F;* Hamarense, *B.*

se domi in prædio suo clanculum continens, nuntium in oppidum misit ad Gunnarem Grjonbakum, ut pacem sibi ab rege impetraret. Aliquando Gunnar regem allocutus: præclarum virum, domine, amisimus, inquit, Thorsteinem Kugadum, qui apud Baglos versatur, quem libenter in nostras partes rursus perducere cupimus. Cui rex: ego vero Thorsteinem nunc oblitum esse arbitror, se nobis subditum et amicum fuisse; quam ob rem parum in eo damni factum esse judico. Tum Gunnar: domine, inquit, scio te incolumitatem Thorsteini concessurum, si eum a Baglis retrahere possimus. Hic rex, adridens: quid, Gunnar, in tuane jam potestate Thorstein versatur? a me quidem pacem impetrabit, sed nescio qua fortuna usurus sit, si Birkibeinos foris in plateis obvios habuerit. Paulo post Gunnar nuntium ad Thorsteinem misit, ut in oppidum veniret. Quo cognito, Thorstein eo quam occultissime profectus est. Post eodem die Gunnar ac Thorstein regem, in conventu quodam forte constitutum, adierunt. Thorstein demissum pileum capite gerebat, ut non prius agnosceretur, quam ad regem accessisset; is, amiculo abjecto, in pavimentum, tanquam percussus, se prostravit, et pedem regis prehensum osculatus est, dicens: beatum me, domine, puto, inquit, qui tam prope te veni, ut manu te tangere possim, quodque de manibus impiorum Baglorum elapsus sum, qui exsecrati sunt, quod et profecto meruerunt, cum sint prædones et malefici; nulli autem principes te, domine, virum optimum, odio habere volunt: nam tu rex coronatus es, quem omnes, si recte faciant, venerari debent. Jam me, domine, recipias, nec unquam abs te dimittas. Nescio, quo pacto malus iste falsus episcopus me tam delirum et occæcatum

reddiderit, ut intelligere non possem, quas fraudes venditent homines isti perjuri, qui in verba tua jurarunt. Quo modo malos istos deceptores, qui fidem regi suo datam violare non dubitarunt, mihi bonos fore sperarem? Loquentem Birkibeini interpellabant, inimica verba adjicientes, dictitantes, ipso neminem magis esse sceleratum; alii hortabantur, ut in Eyras duceretur, ibique suspenderetur. Tum rex: surge, inquit, Thorstein, pace donaberis; tu mihi de moribus Baglorum referes. Hic Thorstein: me beatum prædico, quod oculos tuos cernere mihi licuit, nec posthac unquam fidem erga te migrabo; multa vero de Baglis, et quidem pleraque turpia, quandocunque volueritis, referre habeo. Tum Thorsteini incolumitas concessa. Hunc rex sæpe in conciliis aulicisque conventibus verba facere moresque Baglorum referre jussit.

De Baglis et consiliis regis Sverreris.

154. Bagli omnes pensiones expeditionales et impensas classicas per utramque Mæriam et Raumsdalum exegerunt, in Stadis prædas egerunt, in quo itinere dimidium mensem consumserunt. Tum septemtrionem versus in Halogiam vagati, unumquemque sinum intrarunt, magnoque tumultu grassantes ingentem pecuniæ vim corraserunt. Suas in partes viros excellentissimos, qui iis locis erant, perduxerunt, Thorerem Knappum[1], Guttormum Mjolensem, hujusque fratrem Brynjolvum, Bjarnium Mordi filium, Haldorem de Hjorleivsvika[2] ejusque filios, Ivarem Nevum, Gregorium Kikum[3], Erlingum de Thjotta, sacerdotem[4] Guzalinum, aliosque permultos. Eodem

---

[1]) Gnappum, *F.* [2]) *sic B;* Horleivsvika, *G;* Hjorlaksvika, *A;* Hjorleiksvika, *F.* [3]) Pikum, *F.* [4]) Gudalinum, *F.*

autumno cecidit[1] Richardus Angliæ rex, cui in regno successit frater ejus Johannes, Sine terra dictus. Rex Sverrer in emporio se continebat. Aliquando cum rex eadem hieme post festum jolense conventum colonorum ageret, petiit ab iis, ut se aliquot navibus faciendis sublevarent, quo facilius regnum ab incursionibus Baglorum liberare posset; nam certa spes est, inquit, cum ver inceperit, Baglos cursum hunc in sinum conversuros, qui gravia vobis incommoda facessent, solet enim hæc factio vos perpetuis populationibus vexare. Nos autem Birkibeini nullam, ut nostis, navium facultatem habemus, nec bene parati sumus ad fortunas vitamque vestram defendendam, neque, qua celeritate illi per exteriora remis contendunt, nos iter per mediterranea facere possumus. Quæ res etsi aliquantum sumtus exigere vobis videatur, tamen major erit pecuniarum jactura, quam opera Baglorum facietis. Responderunt coloni: placet, domine, hoc consilium navium ad custodiam regni ædificandarum; verum quænam instituenda ratio est navium multitudinis et magnitudinis? Quibus rex: decrevi, ut coloni singularum provinciarum in communi Thrandheimico impensas in singulas naves faciant, oppidani autem et nos Birkibeini, quam plurimas possimus, insuper ædificandas curemus. Harum navium nullam minorem, quam viginti quinque transtrorum, et adhuc majores, fieri volo; etenim in prælio ad Thorsbjarga facto perquam moleste ferebam, perticas, ex proris navium Baglianarum exstantes, oculis meis officere; optarim, ut nos posthac illos navium altitudine tantundem superemus. Postero mane coloni concilium in æde Olavi habuerunt, sum-

[1]) morbum nactus est, *F*; Richardus sequentis anni vere mortuus est, i. e. mense aprili 1199.

tumque computabant. Quibus cum impensæ singulis faciendæ non magnæ viderentur, imperata libenter facere decreverunt, dicentes, sese impensis, quas rex constituisset, non defuturos. Itaque rex ea, quæ ad naves ædificandas pertinerent, administrari jussit; festo paschali jam elapso, octo naves ædificatæ erant, sex in Eyris, omnesque magnæ, duæ ad ædes regias et episcopi; quarum quæ in villa regia ædificata est, triginta erat interscalmiorum, Ognarbrandus dicta. Omnes hæ naves pro numero transtrorum ingenti erant laterum altitudine. Etiam rex Sverrer aliquot naves onerarias dissecandas longiorique carina amplificandas curavit, ut justis remorum versibus agitari possent. Tum omnes naves, quæ maritimis expeditionibus idoneæ existimarentur, majori adhibita festinatione in oppido instructæ sunt.

De Baglis.

155. Vere insequenti Bagli, itinere a septemtrione ex Halogia comparato, meridiem versus cum omnibus copiis ad ostium sinus Thrandheimici contenderunt, deinque cursum in sinum converterunt. Hoc festis pentecostes diebus accidit. Qui cum introrsum ad Holmum navigassent, quod eis egressus eo loco difficilior videretur, in interiorem Thrandheimum profecti, totum sinum populando peragrabant, et pecunias comparabant. Coloni, exercitu collectitio coacto, aderant, et tela in Baglos miserunt, et quot eorum possent intercipere conabantur. Episcopus Nicolaus sæpius apud exercitum concionatus sic verba fecit: jam sacerdos Sverrer non plus Norvegiæ, quam unum promontorium, in sua potestate habet, quæ possessio satis magna esset, si in ea parte Eyrarum, quæ extra palos litorales jacet, dominaretur, eoque loco in crucem actus esset. Ve-

rum, quas in partes cum arietibus marinis[1], quos in oppido compingendos curavit, proficiscatur, nos Baglos haud magnopere curare arbitror; spero enim fore, ut Thrandi prius carbones omnium domuum suarum colligant, quam ut ullam inde utilitatem percipiant. Nos per has causas ad libitum per sinum grassabimur, nihil metuentes; nobis enim copiarum numero multo sunt inferiores. Bagli classem ex interiori sinu reductam ad Depilem intra Ladhamros constituerunt. Eam rationem instituerunt, ut copiæ, quæ navibus grandioribus vehebantur, egressæ per superiora ad pontem tenderent, indeque in oppidum irrumpere conarentur; classis celocium per exteriora ad amnem provecta, eo loco escensionem tentaret.

Prælium inter Birkibeinos et Baglos.

156. Nunc de rege Sverrere referemus, qui se in oppido comparabat. Una ballista in Eyris, altera ad amnem collocata erat. Toto oppido, quantum per longitudinem patuit, superiora domuum apparatu bellico munita erant, materia directa in extremis tectorum, instar pluteorum bellicorum, collocata, eoque ingentia saxa comportata; ibidem præsidio impositi milites evocati et oppidani. Ipse rex cum parva manu in Eyris versabatur, maxima vero pars aulicorum apud pontem erat, cui exercitui præerat Hakon Galenus et Petrus Steyper. Celoces Baglorum in amnem præter oppidum remis subvectæ, ad Skellingarhellam usque penetrarunt. Sed escensionem ad Brattoram facere non ausi, quod is locus, sublimi conspecta Sigurfluga, minus tutus videbatur, tela in oppidanos conjecerunt, nusquam vero ob multitudinem saxorum, quæ ex domibus ac pontibus ingerebantur, ap-

[1]) i. e. navibus.

propinquare potuerunt. Baglis per superiora ad pontem contendentibus præerat Ingius rex designatus, episcopus Nicolaus, Halvardus Sastadensis. His impetum in pontem facientibus Birkibeini contra vadentes in ipso ponte occurrerunt. Hic acerrima pugna extitit, milites utrinque cadunt; cedentes Birkibeini pontem relinquunt, Baglis vehementer instantibus. Aliquot Birkibeini, qui castellum tenebant extremo ponti superstructum, ingentia saxa in Baglos ingerebant. Quo facto cum fortissimi Birkibeinorum delecti in pontem progrederentur, Bagli recesserunt. Cum vero, qui primi stabant, terga vertere cogitarent, illi, qui ab armis Birkibeinorum remotiores erant, obstiterunt; unde tanta in ponte turba constipata est, ut laxatis cancellis multi Baglorum ex ponte deciderent, alii in aquas desilirent. Itaque Bagli ab ampliori conatu pontis invadendi destiterunt. Post hæc Bagli ab ictu teli recesserunt, novaque consilia excogitarunt. Episcopus Nicolaus id consilii proposuit, ut pontem igne injecto inflammarent: quo facto, nullus ex oppido exitus relinquitur, nisi per arcem, quam statim obsidebimus, ut aut in oppido manentibus fame pereundum, aut exeuntibus in infesta tela ruendum sit. Sic fecerunt, ignem ponti intulerunt, sed Birkibeini ignem avertere conati, tandem vim incendii restinxerunt[1]. Dein episcopus Nicolaus et sui Helgisetrum profectus, cœnobiarcham ceterosque canonicos, ut secum pugnarent, coegit, aliter se monasterium incendio deleturum minatus; qua re permoti eum comitati, in nave ipsius versabantur. Celocium defensores, quibus aditus oppidi difficilis fiebat, cum pugnandi facultas non daretur, celoces infra Bakkium deferri passi sunt. Rex Sverrer ex Eyris ad Smidiobudas

[1]) integro uno tabularum ordine ad ripam meridianam, *add. G, F.*

progressus, Baglis potestatem egrediendi in Brattoram fecit; quibus de escensione deliberantibus cum metus prævaleret, rex, id sentiens, suos procurrere, sagittasque et hastas quam vehementissime in eos effundere jussit. Bagli maxima celeritate usi cum recedere cœpissent, una ex navibus eorum in vadis hæsit, propeque erat, ut a Birkibeinis caperetur; multi vero ex hujus navis propugnatoribus interfecti, multi vulnerati sunt. Sic ex amne devecti, ad naves majores remigarunt. Huc etiam commilitones eorum, qui pontem aggressi fuerant, jam convenerant; eoque loco universi noctem transegerunt. Sequenti mane Bagli celoces iterum præter Ladhamros remis propulerunt, eosque ibi ex ea parte, quæ oppidum spectat, constituerunt. Inde episcopus Nicolaus, Raudsudam[1] ducens, quæ ceteras naves celeritate superabat, in sinum Ilæum remigavit, et circumspiciebat, quo loco optimus esset egressus, si escensio facienda esset. Quo rex Sverrer animum adverso, cognitoque itinere ejus, corbitam aliquam, quæ Onundo Ufrido erat, sumi, et per transversas Eyras pertrahi jussit, tam densa hominum multitudine circumstipatam, ut cerni non posset. Quam ad mare delatam cum episcopus Nicolaus conspiceret, suos quam vehementissime impellere remos jussit; atque, quantum vires sinunt, fugam properate, inquit, ego vero, si strenue remigetis, tunicas virides ac rubras vobis dabo. At vos nihil quicquam remigatis! nonne videtis hostes nostros magno cum furore nos insequi? nostra vero celox quasi immobilis stare videtur. His dictis cum e celsa puppi in partem navis anteriorem se proriperet, cucullus e capite ejus e navi excussus est. Episcopus suos iterum ad-

[1]) Raudsidam, G.

hortatus: nunc strenue operam navate, inquit, me nunc convenire volunt. Atque primo quidem, cum Bagli Raudsudam[1] remis circumagere vellent, navi nondum in cursum penitus incitata, insequentes Birkibeini majori celeritate utebantur. Sed minime necesse erat, episcopum suos tantopere ad remigandum hortari, omnes enim vehementer cupiebant remigando effugere. Bagli vero ex ceteris navibus, hac re animadversa, celoces eo incitarunt, et Onundum a litore intercludere studuerunt. Onundus, se a conatu dejectum intelligens, re sic comparata cursum reflexit, elapso quidem e manibus Nicolao, cucullo vero ejus indicii vice relato.

Bagli a Sverrere ejusque militibus interfecti.

157. Post hæc vehemens ventus aquilo surrexit, cui omnes naves majores Baglorum adversæ objacebant. Quo loco cum haud facile sustineri posse rex Sverrer intelligeret, octo equis amnem transportatis, ipse eo profectus est, conscensoque equo per superiora supra Ladas ad eos vectus est. Quo ut venit, illi scaphas introrsum ad terram miserant ad oras resolvendas; ancoras enim a parte exteriore navium demiserant, in quas evehi statuerant. Rex impetu facto in eos, qui oras resolvebant, novem homines interfecit, alios in mare se præcipitare coegit, alii se scaphis ad naves receperunt. Quare Bagli, præcisis oris, in ancoras evehebantur, velisque vento datis extrorsum ad Raudabjarga navigarunt, ibique duas noctes constiterunt. Rex Sverrer manum in Orkadalum misit, Eyolvum Aflii[2] filium, Bjalvium Skinnstakkum cum cohorte. Tertio die Bagli ad Orkadalum trajecerunt, navesque ad Roabergum et

---

[1]) Raudsidam, *G.* [2]) Haflii, *B.*

pluribus locis ad litus appulerunt, statim pontibus expositis in agros excurrerunt, cibaria et pecunias tam in montanis habitaculis quam in pago inferiore quærentes. Quibus Birkibeini ad prædium, Holtas[1] dictum, insidiati, Baglos et in septo villam ambiente et in itinere ad amnem Orknam interfecerunt; multi in aquas se præcipitarunt, alii flumen transnarunt, alii aquis submersi perierunt. Sic se Bagli ad naves receperunt. Etiam ad alia quædam habitacula montana insidiæ factæ, ubi partim interfecti sunt, partim fuga evaserunt; ex quo tempore nullas amplius excursiones fecerunt. Tum Bagli, quo loco armenta Birkibeinorum essent, certiores facti, trecentis sexaginta militibus missis pecora ad litus compulerunt, et omnia ad unum mactata navibus imposuerunt. Unum ex Birkibeinis ad prædium Rodas comprehensum, cum quis esset celaret, seque aliquem ex evocatis, non Birkibeinum esse simularet, pede truncarunt. Hoc loco se Bagli unam hebdomadem continuerunt, nullas amplius excursiones facientes; indeque Holmum profecti sunt. Post hæc eam inierunt rationem, ut potius iterum in pagum interiorem ad prædas faciendas proficiscerentur, quam in oppidum irrumpere conarentur. Itaque in Asfjordum[2] in Hindeyas[3] profecti, eo loco aliquot noctes steterunt. Eo tempore opus expediendarum navium ad finem fere perductum erat, omnibus jam navibus latera contabulatis, intrinsecus nondum perfectis. Multi hortabantur, ut aquis committerentur, cum primum viderentur hominum onera sustinere posse. Tum naves quantum fieri potuit properatæ, et ut primum licuit aquis commissæ, universæque quæ præsto erant copiæ regis paratæ.

---

[1]) Haltas, *G*; Holstas, *F*. [2]) Arfjordum *G*. [3]) Hundeyas, *G*.

De rege Sverrere et Birkibeinis.

158. Die Veneris proximo post festum Botolvi, primo mane, rex Sverrer classem ex amne eduxit, regia navi præcedente, ceteris omnibus subsequentibus. Quibus omnibus classico in unum convocatis, rex, conscenso ligneo munimento, suos, quæ dicturus esset, diligenter animum advertere jussit; itaque orationem orsus, hunc in modum verba fecit: hic magnus convenit exercitus; si vero accidit, quod fore speramus, ut nos cum Baglis congrediamur, minime exspectandum est, hos omnes viros incolumes redituros; qui casus cum omnibus æque communis sit, sibi quisque caveat oportet. Itaque oro optoque, ut omnes, qui nuper non fecerint, peccata confiteantur; idem auctor sum, ut omnes aliquantum cibi ac potus sumant, quo facto vices remigandi commodius expleri poterunt. Si vero in Baglos incidamus, illique remis effugere velint, etsi hoc se facturos dissimularint, passim classe provehamur, jactu teli aut amplius inter singulas naves intermisso; æquatis frontibus procedamus, singulasque celoces singulis navibus longis assiduas comites adjungamus. Sol sudo cœlo splendebat, vento leniter per sinum ab alto spirante, qui vexillum usquequaque a pertica in sublime levabat. Jam Birkibeini naves introrsum in sinum remis propellere cœperunt, quæ res aliter ac Bagli opinati erant successit; naves enim eorum, utpote recens factæ et nuper picatæ, solisque impositis hominibus oneratæ, remis celerrime agebantur. Rex Sverrer, conscensa celoce, introrsum præcucurrit, quo loco Bagli se continerent, speculaturus. Qui, homine quodam in litore conspecto, celoce appulsa hunc inclamantes interrogarunt, an sciret, quo se loco Bagli tum contine-

rent. Colonus: introrsum ad Hornium versus prospicite, eo loco tota classis eorum constitit. Quo dicto regem omnesque suos valere jussit. Rex ad classem revectus, quo cursum dirigerent, ostendit. Cumque dimidium sinum remigando trajecissent, naves Baglorum conspexerunt, quæ ab Hornio per exteriora ad Totram remis propulsæ, a boreali insulæ parte in sinum tendebant. Sed conspectis navibus Birkibeinorum, episcopus Nicolaus, Sigurdus dynastæ filius et Reidar auctores fuerunt, ut extrorsum per sinum remigarent, nihilque negotii cum rege Sverrere agitarent, ostendentes, eum haud facile posse ipsos cum navibus majoribus insequi. Etsi autem Halvardus Sastadensis et Philippus Veginensis regis adventum exspectare mallent, tamen episcopi sententia prævaluit, ut e sinu remigaretur. Hic alternatis gubernatorum vicibus, episcopus Nicolaus Raudsudam[1], Sigurdus et Reidar celoces conscenderunt, hique præ navibus longis remigabant. Jam Birkibeini, quo loco Bagli tenderent, conspicati, cursum in sinum ab occidentali Totræ latere dirigentes celeriter adpropinquarunt, et quidem intra Omburnesum. Cum brevi spatio inter se abessent, Birkibeini, remis retractis, arma celeriter induerunt, rati Baglos impetum facturos; illi vero naves appellere noluerunt, sed remis aufugere perseverarunt. Tum rex Sverrer: vereor, inquit, ne in oppidum irrumpant; quod consilii si ceperint, terga oppidanorum infenso igne calfactabunt, antequam ingredi oppidum possimus. Itaque utrique remos contentissime duxerunt, quaternis singulos in regia nave tractantibus; classis summa celeritate provolabat; singulique remi, quantum materiæ firmitas patiebatur, ducti

[1]) Raudsidam, *ceteri.*

sunt. Sed naves Baglorum ideo tardius procedebant, quod turgidæ ac graves erant, ut quæ tota præcedenti hieme aquis innavissent, commeatuque et multa præda erant onustæ.

Prælium inter regem Sverrerem et Baglos.

159. Halvardus Sastadensis, ubi intellexit periculum esse, ne omnes naves maximæ a Baglis interciperentur, celsa puppi conscensa, suos adhortatus, omnes naves a latere Birkibeinorum reduci, et quæ novissimæ ferrentur, has primum impetu facto defensoribus nudari jussit. Navem autem, quæ extrema ibat, ducebat Hakon regis filius, qui, quod copia sociorum navalium minus valeret, agmen clausit. Cum vero naves reducendæ essent, omnes quidem naves minores cursum facile circumduxerunt, naves autem majores Baglorum celeritate motus Birkibeinianas exæquare non potuerunt. Hic rex Thordo Finngeiris fratri, qui tum navem regiam gubernabat: videsne navem Halvardi, inquit? Quidni videam, domine, inquit ille? Tum adeo inter se appropinquarant, ut proretæ regiæ navis tela in navem Halvardi mitterent; navis autem regia ceteram classem Birkibeinorum aliquanto antecedebat, neque tamen breviori a reliquis intervallo, quam quo telum adjici posset. In eo, inquit rex, omnis tua vertitur fortuna, utrum navem Halvardi cursu directo attingere queas; huic enim navem nostram hodie applicabimus, nam vires nostras non superat. Cui ille: haud factu est difficile; obliquus enim navis motus, domine, voto respondet. Rex Sverrer navi suæ nomen imposuerat, Hugroamque appellarat; Halvardus navem duxit Skalpum dictam, Petrus Steyper et Eyvindus sacerdotis affinis Ognarbrandum, Hakon regis filius Vidsiam,. Philippus dynasta Hjalpam. Interim regia navis et Halvardi inter

se concurrerunt, regia navi a sinistro latere constituta, cui, intercursu celocis Eiriki[1], lateris lateri conjungendi locus non dabatur. Navis Philippi dynastæ, post aliquando adlapsa, cum tam cito deflecti non potuisset, ut recta inveheretur, prorsum delata in navem[2] Halvardi tendebat. Itaque proretæ dynastæ, injecta manu ferrea, caput, navi Halvardianæ præfixum, apprehenderunt ac revulserunt, ob contentiorem navis motum solo manubrio retento; caput erat colore pictum, quo avulso navis aspectu deformis videbatur. Tandem navem dynastæ circumflectere poterant, eamque ad dextrum latus a puppi ad sentinæ interscalmium constituerunt; dein ceteræ naves ut quæque subsequebatur, applicuerunt. Sic sex naves majores Baglorum circumventæ et navibus Birkibeinorum circumclusæ sunt; minores vero, veritæ ne circumvenirentur, cum aliter elabendi potestatem haberent, accessum Birkibeinorum refugiebant. Ognarbrandum, quem ducebant Petrus et Eyvindus, primo in aciem non provexerant; quem cum admovere vellent, quamvis universis hinc remigantibus, inde remis inhibentibus, tamen circumflectere non potuerunt. Omnes autem Baglorum celoces Ognarbrandum, ubicunque versaretur, evitabant, nec ei adhærere volebant, sed eo, unde procul aberat, se adplicuerunt, hocque, quoad pugnaretur, facere observarunt. Erat hoc prælium et acre et diuturnum, cum ante meridiem committeretur et ad horam usque sextam duraret. Pugnatum est in pelago Strindensi. Rex Sverrer suis, antequam prælium committeretur, ita præceperat: si id quod spero accidit, ut victoriam obtineamus, nunc memores, vos a Baglis superiori æstate in arce Bergensi fame fatigatos fuisse, nemini, nisi me

[1]) Hæensis, *add.* *G*, *F*; Haensis, *B*. [2]) proram navis, *F*.

convenerit, incolumitatem concedite; propterea quod jam perspicuum est, hostes nostros a nobis, nisi ferro ac telis, deleri non posse. Multos hodie inter Baglos invenietis, qui fidem jurisjurandi fefellerint, qui nefaria in regem suum patraverint; quorum scelerum jam gravissima supplicia dabunt. Navis, quam episcopus duxerat, soluta ferebatur; cui cum, classe æstu diducta, locus excedendi inter naves Birkibeinorum datus esset, episcopus discessit et litori adremigavit, omnibus, quibus satis firmitatis erat, in terram excurrentibus. Hoc die rex Sverrer sagittas arcubalista emittebat; quod idem faciens Philippus dynasta, lacertum sub manicam loricæ sagitta ictus, telum non prius quam insequenti vespere extraxit. Raudsida, qua episcopus rexque designatus vehebantur, non propius a pugnæ loco aberat, quam ut cernere possent, quo se victoria inclinaret. Qui cum viderent, fortunam ad Birkibeinos magis inclinare, extrorsum per sinum quanta potuerunt virium contentione remigarunt. Ubi vero milites in navi Halvardiana cadere cœperunt, propugnatores regiæ navis et dynastæ in eam transcendere contenderunt, quo facto navis defensoribus nudari cœpit. Halvardus a celsa puppi in mediam navem post malum ad propugnaculum ligneum refugerat, ibique interfectus est. Versabatur in puppi navis Halvardianæ vir, cassidem chalybeam et loricam, Gothica forma utramque, gerens. Hic primo jam prælio stipite adeo ictus est, ut nasus magnopere læderetur et contunderetur; navi autem defensoribus nudata in munimentum ligneum apud malum adscenderat. Tum quidam aulicorum, nomine Askel, magnis corporis viribus et loricam laminis consertam indutus, prodiit, et adscendens eum oppugnavit. Vir oppugnatus nec gladium, nec

scutum habebat, sed lapidem manu tenebat, cum Askel et gladio et scuto uteretur. Forte evenerat, ut tentorium inter concurrentes intersitum esset. Askel, cum vehementiorem ictum ei intentare vellet, gladium in fulcrum tentorii incussit, ut infixus hæreret; qua ille occasione usus, Askelem lapide percussit, ut e munimento delaberetur. Tum complures, rege audiente, testati sunt, illum virum, si a suis partibus staret, locum suum tutaturum, et incolumitatem ei concedi oportere; quod rex se audire dissimulavit. Dein e navi regia pilo ictus, e munimento delapsus est. Interea Askel resurrexerat, securi aliqua in manum sumta; iterumque congressi sunt, eo tandem exitu, ut Askel multis vulneribus acceptis Baglum interficeret. Navis Halvardiana prima vastata est, deinde in unam post alteram earum quinque, quæ eo loco stabant, transcensum. Quo facto Bagli fugam capessiverunt, pars navium terram petierunt, ibique excurrerunt, omnia vero navigia leviora per exteriora sinus remis contenderunt. Quos Birkibeini non longe persecuti, omnes naves litori adremigantes ceperunt; hic quoque orto prælio, magna hominum multitudo, ac de Baglis plurimi, ceciderunt. Quo facto Birkibeini ad oppidum reversi, accedente æstu, flumine noctu subvecti sunt. Quum milites in oppidum venerunt, cognitum est, centuriones Baglis, cognatis et amicis suis, incolumitatem concessisse. Itaque Birkibeinorum quidam, memores, quæ præcepisset rex, cubiculum quoddam, in quo Bagli versabantur, aggressi, omnes interfecerunt; eorum autem cognati, qui eis incolumitatem concesserant, regem Sverrerem adeuntes, coram eo de hac re questi sunt. Rex huic rei se utile remedium perspicere ostendit, ut quærerent, si forte hi, qui cognatos eorum

interfecissent, quibusdam de suis cognatis incolumitatem concessissent; de his ultionem esse expetendam. Post hæc cohortes oppidum pervadentes altera alterius cognatos comprehenderunt, usque eo donec omnes essent interfecti. Postridie rex concilium in Eyris habuit, suisque præcepit, qua ratione præda divideretur: omnia in cœmeterium ædis Apostolorum comportarentur, se eo facto custodes impositurum. Dein suos septemtrionem versus in Halogiam misit, ut qui eo profugissent persequerentur, pro certo habens, multos colonorum eo ad domicilia sua se convertisse. Hi Bjarnium Mordi filium et Brynjolvum Mjolensem multosque alios viros excellentes vivos ceperunt, eorumque res familiares effusius diripuerunt.

Cædes Philippi dynastæ.

160. Erlendo nomen erat viro, qui munere sacerdotali fungebatur et sacra in æde Crucis administrabat; is vir erat insignis prudentiæ, et præbenda ex reditibus ædis Christi habebat; idem in matrimonio habebat uxorem juvenem et formosam, nomine Ingibjargam, quam Philippus dynasta pellicis loco habuit. Quo rex cognito dynastam blandis verbis oravit, ut hoc facere desisteret. Dynasta liberaliter respondit, sed nihilominus in eadem re perseveravit. Id ubi Erlendus cognovit, odio et in regem et in dynastam incensus, omnes Birkibeinos dolis, si efficere posset, circumvenire studuit. Rex Sverrer et sacerdos Erlendus sæpe antea inter se de causa archiepiscopi disceptarant. Post prælium rex Sverrer, itinere quam celerrime comparato, cum copiis et navibus majoribus ad Baglos insequendos profectus est; hi vero fugientes subinde recesserunt, usque eo donec orientem versus in Vikam perve-

nerunt; inde meridiem versus in Daniam contenderunt, rege Sverrere insequente et Lesoam usque navigante. Qui cum cognovisset, Baglos in Jotiam trajecisse, in Vikam reversus, ibique per æstatem commoratus est, multas a colonis pro perduellione impensasque in classem exegit; magnum habens militum numerum Osloæ consedit, eoque loco hiemare statuit. Eodem autumno pellex dynastæ, uxor sacerdotis, a partibus septemtrionalibus advenit, quam dynasta statim ad se recepit, rege vero interdicente eam ad villam prope sitam, Akrum dictam, misit, quo sæpe noctu furtim equo vectus, eo loco pernoctabat. Sæpius rex dynastam admonuit, quod incaute se gereret: et vereor, cognate, inquit, ne magnum inde nobis incommodum proficiscatur. Ineunte festo jolensi Bagli a meridie cum classe celocium e Dania navigarunt, in quo itinere una celox, quam ducebat Audun Byleistus, velificatione interiit, nullo homine servato. Ad sinum Osloensem delati, quindecim celoces, præfectis rege designato et Reidare legato, in sinum miserunt; qui cum ad Hofudeyam venissent, inter se consilia contulerunt. Tum Reidar legatus: credo Birkibeinos nullam de adventu nostro famam accepisse, magnamque multitudinis colluviem in oppido versari, omnesque milites mero saucios esse. Magnæ in consilio capiendo celeritatis est, istos invadere, quod consilium rex Sverrer, si in nostra causa esset, haud dubie daturus esset. Nunc igitur quam altissimo silentio pontibus adremigemus; prædam præ manibus esse scio, Philippum dynastam, qui cum paucis Akri quiescit. Multi responderunt: macte consilio; hunc nunquam e manibus elabi patiemur. Dein quinque celoces eo remigarunt, cetera manus pontibus advecta, auscultavit: altum

in oppido silentium et quies: neque tamen egredi ausi, cursu reflexo, ad suos reverterunt. Qui ad Akrensia pascua appulerant, ad villam egressi, non prius a dynasta animadversi sunt, quam ædes occupassent. Ille per pseudothyrum aliquod elapsus est, nudis pedibus, solis vestibus linteis indutus. Aeris status erat pluvius, terra nive vacua, glacieque tabescente lutulenta. Dynasta pedum pernicitate in primis valebat. Bagli, qui in ædium tectis erant, per tenebras animadverterunt, virum linteis indutum excurrere, suosque ut hunc comprehenderent, inclamarunt. Procurrentibus ad eum retrahendum, eodem momento ille, fallente pedum vestigio prolapsus est, hastaque eminus trajectus, letale vulnus accepit. Cecidit in septo quodam loco haud procul ab ædibus, duoque præterea viri alii. Pedissequus ejus, nomine Eirikus, cognomine Svagius[1], fuga elapsus nuntium in oppidum pertulit. Qui cum in aream regii palatii venisset, adeo erat exanimatus, ut nihil aliud loqui posset, quam magno edito clamore eos surgere juberet. Rex omnium celerrime e stratis se proripuit, vestes induit, in aream descendit: quærit, quid novi. Puer: cecidit dynasta, a Baglis interfectus. Nimium prope nos, inquit rex; putabat enim dynastam in cubiculo suo intra oppidum quievisse, Baglosque in oppidum irrupisse. Arcessitum tubicinem tubam quam contentissime inflare, cubiculariosque armis se induere jussit. Cuncti ad arma concurrerunt. Deinde regi nuntiatum est, dynastam Akri cecidisse. Omnes milites hac nocte usque ad lucem sub armis vigilarunt. Hæc nocte proxima ante undecimam festi jolensis feriam acciderunt.

[1]) *Snagius*, *F.*

De rebus Baglos inter ac Thrandos intercedentibus.

161. Jam Bagli extrorsum per sinum iter converterunt, boreamque versus secundum terram cursum direxerunt, primo Bergas profecti, ubi paulisper commorati sunt, deinde boream versus in Thrandheimum contenderunt, eoque ex improviso pervenerunt. Aderant in emporio Birkibeini, Halvardus Skygna, frater Guttormi archiepiscopi, cum sua cohorte, qui cum omnibus commilitonibus interfectus est. Bagli oppidum occuparunt cum sexeentis sexaginta militibus. Eo tempore acres erant algores et congelationes. Tum præfecti regis Sverreris et coloni id consilii ceperunt, ut exercitum adversus eos ducerent et acie confligerent; Gauldalensibus præerat Dyrius de Gimsis, Orkndalensibus Eyolvus Aflii[1] filius, qui milites mille octingentos habebant. Quos cum Bagli non prius animadverterent, quam in oppidum invaderent, obviam eis ad arcem profecti, hanc defendebant, eosque introitu prohibebant. Pridie Bagli glaciem ab arce ad pontem usque excidendam curarant. Hoc vero die tela inter se conjecerunt, compluribus utrinque vulneratis, Philippo Veginensi sagitta icto. Coloni, re sic comparata, domum redierunt, neque quidquam proficere potuerunt. Paucis intermissis noctibus coloni iterum in oppidum contenderunt. Quos deorsum per Steinbjarga iter facientes Bagli conspicati, eorum adventum exspectare noluerunt, oppidoque excesserunt; iter continuarunt, donec in Mæriam australem pervenerunt, aliis in Borgundam, aliis Thingvallum concedentibus, quibus locis, donec festum paschatis appeteret, ver transegerunt.

---

[1]) Halvii, F.

De rege Sverrere et colonis.

162. Rex Sverrer colonis hac hieme impensas in classem imperavit, ut quodque contubernium militem sisteret, insuperque pondo nauticum[1] et bovem. Tum rex, venia domum discedendi Thrandis concessa, delectum ex pagis habebat. Quæ ad militiam imperata vectigalia magnam Vikensium indignationem commoverunt. Atque post hæc coloni consilia inierunt, quæ multis postea hominibus perniciosa extiterunt. Conspirationem adversus regem fecerunt, quæ miro modo celata fuit, cum omnes incolæ a Svinasundo usque, omnes Vestfoldenses, totiusque Raumariki incolæ consociati essent; qui universi simul condicto tempore cum collecta multitudine insurrexerunt, servis ac liberis per omnes illas provincias excitatis. Omnes, qui in provinciis erant, præfectos, in suo quemque pago, interfecerunt. Hi capita conjurationis erant: Simon prætor Thuvensis[2], Amundius Bursta, Thorfidus[3] cæcus, Thordus Ulvgesti filius, Thorlakus Dravlius, Jon Kula, Grimus de Grettisvika[4], Halkel Angriensis. Conspirationem Osloæ inchoarunt, inducti oneribus, iis ab rege impositis, conciliique in æde Halvardi habito rem inter se confirmarunt. Die Mercurii tempore quatuor temporum jejunii quadragesimalis Benedictum, regis Sverreris præfectum, qui Tunsbergi erat, cum tota cohorte sua, novem[5] homines, in quibus Olavum Smjorkollum[6] Varensem, Petrum [Lucæ fratrem[7] Omdensem, quo quisque loco erat constitutus, interfecerunt; omnibus itineribus, quæ ad oppidum ducebant, custodes disposuerunt. Proximo die Veneris incertus aliquis rumor ad

---

1) Pondo nauticum Norvegicum continebat trecentas quadraginta sex libras. 2) *G*; Thugnensis *A*. 3) Thorvidus, *G*, *F*. 4) Geitisvika, *F*. 5) viginti, *B*. 6) Smjorbakum, *B*. 7) Lucam, *F*.

regem perlatus est, colonos exercitum collectitium contraxisse. Quod cum ei incredibile videretur, milites evocatos recenseri jussit, atque cognitum est, eos, qui e proximis pagis venissent, discessisse. Hi nuntio misso arcessiti, diem Saturni et Solis venire intermiserunt. Die Solis colonus quidam ex mediterraneis adveniens, regi nuntiavit, multitudinem adversus eum congregari, propediem adfuturam; exspectaret, non serius adventuram, quam ea ipsa nocte, quæ instaret, aut primo mane crastini diei; se copias colonorum conspexisse. Quibus rebus cognitis, rex confestim omnes copias, tam suos milites, quam oppidanos et mercatores, tuba convocari jussit; quæ cognoverit, aperit, auxilium ab oppidanis et mercatoribus implorat; eis pro fortunis ac libertate pugnandum esse, ostendit. Qua oratione secunda acclamatione excepta, rex, toto exercitu in cohortes distributo, milites cœnare jussit, quo facto se universas copias tuba convocaturum. Sic factum. Dein oppidani et mercatores omnes, quas potuerunt, fortunas suas in templa comportarunt. Rex custodias equestres quoquoversus dimisit. Sero vespere universum exercitum in glaciem præ oppido jacentem[1] classico convocari jussit, eumque in pascua Akrensia transduxit, ibique per noctem consèdit. Inde paucis comitatus ad Solangrum[2] equitavit, equisque in clivo relictis[3] ipse ad lacum descendit. In glacie lacus magna multitudo colonorum constiterat, consilia conferentium. Rex, cum quæ loquerentur auscultasset, discessit, et ad equos reversus in glaciem devehitur, inde extra pascua

[1]) et usque extra Hofudeyam pertinentem, *add. G, F.* [2]) Salangrum, *B.* [3]) *h. l. integrum folium deest in Cod. membr. A, quæ lacuna, quantum fieri potuit, ex G suppleta est.*

et versus interiora ad naves suas pertendit; hic aliquantum temporis moratus itèrum ad exercitum revehitur, luce jam appropinquante. Mox exercitu in glaciem inter Snældam et continentem tuba convocato, postulato silentio hunc in modum verba fecit: hic magnus exercitus jam convenit, quem ut Deus protegat, nobis ante omnia opus est. Congregata est adversus nos Thelamarkensium et Markomannorum multitudo, quos jam reversos esse autumo. Quid, hi omnes nostrine sunt, an aliqui ex colonis accessere? Nuntiatum est, has ipsorum copias esse. Itaque naves nostras custodiamus, inquit rex, militesque disponendi ad glaciem, quæ naves præjacet, excidendam. Hoc ipso momento advenit vir, nuntians, multitudinem ab ortu advenisse a Langamulo[1], tumque Ryginabergum præterisse. Hi erant Skaunienses, Eyani[2], Foldenses, Hegginenses. Tum rex: itaque ratio consilii mutanda. Equo forte insidens, eo vectus est, quo loco copiæ oppidanorum versabantur, et locutus est ita, ut utrique exaudirent: duplex præ manibus ratio adest, aut fugam capessere, aut colonos excipere; pacem a colonis petere, frustra erit: at iidem leviores adverso, quam averso corpore ictus accipient. Universi rem ipsius arbitrio permiserunt, nunc ut antea testantes, rem ita prosperrime exituram. Tum oppidanos interrogavit, utrum aliquod auxilium sibi præstare vellent, an, ut sui quique curam gererent, præoptarent. In vos autem, Birkibeini, vetus illud proverbium congruit: cum usus venerit, amico utendum. Coloni et oppidani responderunt, se regem pro virili adjuvare velle; quod et fecerunt.

---

1) Langamoso, *B.* 2) i. e. accolæ lacus Eyensis (*Eyavatn*, Öjeren).

Prælium in rupe.

163. Rex Sverrer apud exercitum concionatus hunc in modum verba fecit: mea sententia est, ut, antequam multitudo colonorum ab omnibus partibus impetum in nos faciat, exercitum, qui hoc loco supra nos in Ryginabergo constitit[1], adoriamur; a septemtrionali parte cœnobii monialium ascendamus, neque quisquam oppidum intret. Addens: Paule Belti, vestraque cohors, Uplandi, xylosoleas et apparatum cursorium sumite, iisque conscensis rupem a parte superiore adscendite, et quantum habeant numerum copiarum, cognoscite. Sic fecerunt, rupemque ab orientali latere propter colonos adscenderunt. Altitudo delapsæ nivis magnam per nives labendi facultatem præbebat, sed pedibus iter faciendi tanta erat difficultas, ut si quis a via excessisset, parum abesset, quin totus nivium voragine mergeretur. Tum cœlum albescere, magna cum aeris serenitate, cœpit. Pauliani, cum rupem adscendissent, animadverterunt, totam regionem, quantum patuit prospectus, a superiori Gjollurаso, omnesque partes boreales secundum Frysiam, et exteriores tractus usque ad pascua Akrensia, hominum multitudine inundari. Itaque quam celerrime reversi, has res regi nuntiarunt. Rex, qui tum in Mortustokkos adscenderat, consistens aures nuntio allato præbuit, vexillo ejus et primo agmine interea per vallem, indeque sursum versus in rupem enitente; horum alii via vehicularia scandebant, alii per clivum adeo arduum eniti contendebant, ut altero pede recto insistentes, genu alterius pedis facile inniti possent. Coloni, sublato clamore bellico, in rupem procucurrerunt, missilia effundentes; quibus facile erat, tela ex loco superiore in subeuntes inge-

[1]) quæ multitudo a Svinasundo advenit, *add. B, F.*

rere, quique in occidentali rupis parte a dextro latere Birkibeinorum constituti erant, tela in hos ab aperto latere conjiciebant. Via non erat latior, quam ut[1] quinque viri junctis lateribus ire possent, et insuper ardua. Birkibeinorum alii graviter vulnerati, alii ceciderunt. Quibus cum adscensus difficultate conflictantibus, signifer prostratus est, conflictusque vehementissimus extitit, antequam vexillum recuperarent. Hic Birkibeini sibi resistendi facultatem non esse intelligentes, terga verterunt; quorum qui primi erant, in eos qui inferiori loco stabant, irruebant, atque ita in planum descenderunt, ut alter in alterum præceps daretur. Coloni vero eos non insecuti sunt, eo quod maximam partem exercitus Birkibeinorum in rupem enitentem animadverterunt. Hoc ipso tempore adveniens rex Sverrer: itane, pro pudor, fugitis, ut alter super alterum transversus jaceat! Nonne videtis, neminem vos insequi? Quo dicto copias in Mortostokkos tuba revocari jussit. In Ryginabergo septemdecim ex Birkibeinis, qui omnes aulici erant, ceciderunt, complures vulnerati sunt. Hic rex: bono este animo, milites, etiamsi aliquantum incommodi acceperimus: sæpe hoc in mari usu venit, inquit phoca, oculum telo percussa. Jam coloni, quam ex nobis ferent victoriam, reportavere. Hic eventu probatum est, quod vidi somnium: mihi librum esse, totum dissolutum, tantæque magnitudinis, ut magnam regni partem occuparet, unum vero volumen ex hoc libro surreptum esse; quo nostri a colonis oppressi significantur. Quam ob rem multitudinem colonorum ne metuatis, qui, quo sint una plures eo pejus rem gesturi sint. Porro rex Sverrer: hac, inquit, via nos sursum convertamus, locoque minus arduo ab orientali

[1]) quatuor aut, *add. B, F.*

eorum latere subeamus. Factum. Cum vero haud longe adscendissent, exercitum colonorum prospexerunt, quæ multitudo speciem silvæ, a partibus usque septemtrionalibus ad mare versus se extendentis, visentibus reddebat. Hic rex: [1]Lavarde et Hakon, filii mei, vestræque cohortes, signum erigite, atque hic in Mortostokkis remanentes operam date, ne hi, qui supra in rupe sunt, impetum in nos a tergo faciant; ego vero boream versus contra multitudinem inde iter facientem me convertam. Post hæc rex cum suis septemtrionem versus ad pontem Frysiæ, ubi multitudo colonorum versabatur, profectus est. Hic tela inter se trans flumen miserunt, nec propius congredi potuerunt; ibidem aliquot viri vulnerati. Tum rex ac sui extrorsum ad glaciem versus se converterunt, quo jam Vestfoldenses, Thelamarkenses et Raumenses[1] convenerant; eodem et confluere cœperunt, qui antea ad pontem fuerant, ac jam in unum locum robur multitudinis contractum erat, cujus numerus tam immensus erat, ut, nisi perfectæ fortitudinis viris, insuperabilis videretur. Alio nomen erat viro, Halvardi filio, regis Sverreris præfecto; is quæsivit: aciesne instruenda est, domine? Cui Sverrer: eam nos Birkibeini consvetudinem suscepimus, ut in prælium ituri aciem non instruamus, sed catervatim incurramus, quam maximum strepitum cientes, qua ratione, quatenus cuique libeat, progredi licet. Jam vehementem impetum faciamus, quo facto aciem rusticanam inclinaturam putarim. Evenit nobis modo, quod vulgo dicitur, lapsum faustum itineris omen esse. Tum bellicum cani jussit, et locutus est: universi procurrite, milites Christi, Crucis, regis Olavi sancti! passimque eamus! Rex fusco equo in-

[1]) Sigurde, *add. B.* [2]) Raumdalenses, *G.*

sidebat, eximia indutus lorica, cui firmum thoracem superinduerat, extremo rubro amiculo circumdatus, laxam cassidem chalybeam, quali Germani utuntur, capite gerens, subterque cudonem[1], gladio a latere cinctus, gæsum manu tenens; ipse inter primos equitabat, ut equus scuta colonorum pectore attingeret. Birkibeini ab utroque latere ejus destrictis gladiis proruerunt, tam acrem in colonos impetum facientes, ut qui primi erant, si liceret, remotiores esse libenter cuperent, nemo alterum præcedere vellet. Hinc extemplo strages in colonos versa; quosdam pavor occupavit, universa multitudine in pedes se conjiciente et per interiora ad pascua Akrensia tendente. Quorum tergis inhærentes Birkibeini incommodas plagas inflixerunt, et ad terram versus interiora persecuti sunt. Hic complures ex colonis dejecti, sparsim per glaciem jacebant. Tunsbergenses et oræ maritimæ accolæ classe sinum invecti, navibus ad crepidinem glacialem appulsis, egressi erant; quæ ingens erat multitudo beneque ab armis instructa, ut qui essent patres familiarum, Tunsbergi domicilia habentes, et mercatores. Hi introrsum per glaciem contenderunt, ceteros adventum suum exspectasse arbitrati. Quorum acie Birkibeini conspecta, adversum eos se converterunt. Hic rex: adhuc novum nobis negotium, opinor, exhibetur, et quidem breviori temporis intervallo; jam nos adversus eos convertamus, hi enim prioribus multo sunt numero inferiores, eodemque negotii exitu defungentur. Mox tubicinem vehementer inflare tubam jussit, quo facto exercitus extrorsum per glaciem ire contendit, tanta alacritate, ut si tunc omnino essent recentes. Quo animum adverso, Tunsbergensium copiæ constiterunt et in unum

[1]) et mitram hamis ferreis consertam, *add. G, F.*

se constiparunt, auxilium a copiis, quas coloni in superioribus pascuis habebant, exspectantes. Verum Birkibeini incurrentes, ictus, quales consveverant, iis inflixerunt, primoque tantos, ut Tunsbergenses, quo loco concurrissent, jacerent tam dense prostrati, ut si cumuli essent maris ejectamentorum, superstites in fugam se conjicerent; adeo parumper impetum sustinuerunt. Quos fugientes Birkibeini extrorsum per glaciem pepulerunt, magnumque numerum occiderunt, ipsorum enim plerique calceos stimulis munitos habebant, fugientes nudis soleis incedebant; glacies autem cruore lubrica erat. Rex prope eos advectus hoc agere instituit, ut singulos, quibus ictum intentaret, una hastæ puncta transfoderet, Birkibeini vero postea unumquemque ultimis officiis affecerunt. Hic complures eximii mercatores ceciderunt, Svein Sveitarskitus, Sigurdus Talgius, multique alii. Reliqui partim ad naves suas refugerunt, alii in pascua superiora ad Vestfoldenses contenderunt; hi enim iterum multitudinem in pascuis congregare cœperunt. Ferunt, cum rex copias recenseri jussisset, pæne trium millium numerum initum fuisse; ut vero cum colonorum multitudine congrediebantur, nonnisi exiguus globus, singulisque cum vicenis pugnandum esse videbatur. Quam ob rem aciem instrui rex noluit, quod vereretur, ne sui a multitudine colonorum undique circumvenirentur. In istis vero insectationibus uterque exercitus in globos scindebatur, resque catervatim varia fortuna gerebatur; ibidem multis locis magna prælia facta sunt, de quibus multa referri possent, at illa omnia uno libro comprehendi nequeunt. Sed nos plurimum de his rebus narramus, quæ, quo loco regium signum ferretur ipseque rex adesset, gestæ sunt.

De regis filiis et colonis.

164. Jam de Sigurdo Lavardo et Hakone, regis filiis, item de colonis, qui in Ryginabergo se continebant, referendum. Hi, cum vidissent, regem Sverrerem in hostibus per glaciem insequendis vehementer esse occupatum, colonisque auxilio opus esse, inter se cohortati exercitum de rupe deduxerunt. Quo viso, Sigurdus Lavardus ac sui contra ire contenderunt; utrique primo in vallecula quadam forte intersita concurrerunt, ubi acre prælium extitit. Birkibeini quadringentos octoginta milites habuerunt, coloni ad duo millia quadringentos. Colonis vehementer insistentibus, Birkibeini hominum multitudine superati, deorsum in semitas profugerunt. Sigurdus Lavardus in oppidum tetendit, equoque vectus se in ædem Halvardi, magna comitante hominum multitudine, conjecit. Hakon vero et Petrus Porcius cum parte copiarum cursum[1] supra cœnobium monialium contenderunt, indeque in glaciem ad regem se receperunt. Coloni, negotio fugientium pellendorum negligentius defuncti, instructa acie in oppidum descenderunt, moxque dilapsi, cauponas, in quibus quisque vespere potaret, designarunt. Etiam ad naves regias, quo loco subductæ erant, descenderunt; quas alii incendere voluerunt, alii contra dixerunt, negantes se cimelia sua corrumpi passuros. Deinde in superiora præter cœnobium monialium contenderunt, aciemque instruxerunt. Rex Sverrer, aciem colonorum conspicatus, suos cohortatus etiam nunc strenue operam navare jussit: fama enim, inquit, eximiæ virtutis ubique divulgabitur. Mihi quidem coloni, quibuscum hodie mane sumus congressi, nos iterum convenire

[1]) *h. l. alterum folium deest in Cod. membr. A, quod, ut supra, ex Cod. G suppletum est.*

velle videntur, atque convenit, nos calamitatum ab eo acceptorum meminisse, nunc enim omnes æquo loco consistimus, neque nobis est, ad eos oppugnandos adversa rupe subire. His dictis exercitum adversus eos convertit; fit acre prælium, quod solitum eventum habuit, ut coloni loca superiora a septemtrionali parte oppidi fuga peterent. Quos Hakon regis filius insecutus, magnum ex iis numerum obtruncavit[1]. Rex Sverrer, meridiem versus flexo itinere, per angiportus juxta tabernas sutrinas ad ædem Halvardi contendit; eo ipso tempore Lavardus ac sui ex æde excurrerunt. Cui rex: tua pleraque incepta eundem semper exitum habent; exiguam de te spem boni principis Birkibeinis facis, in quem dicta poetæ quadrent:

Dissimilis es
tuis majoribus,
priscis illis,
ad ardua promtis.

Porro Birkibeinos, qui in æde versabantur, his allocutus est: vos priscorum illorum Birkibeinorum dissimiles estis, qui me de principatu cum rege Magno contendentem secuti sunt; hi me haudquaquam idoneum existimabant, qui illis præliis interessem, quod tamen circumspectæ agendi rationi tribuebant, cum omnes alii ignaviæ imputarent; sed

pauci strenui sunt,
quando debilitari[2] incipiunt,
si in adolescentia ignavi fuerint.

---

[1]) cum autem viderent robur exercitus non insequi, in loco superiori ad Valkabergum (Valabergum, *B*) hostibus restiterunt, eoque loco acre prælium factum est, *add. B*, *F.* [2]) *hrærast*] *hrörna*, *B* (quod et conjecit Raskius, Edd. Sæm. Holmiæ 1818, p. 187 in notis ad cantilenam *Fafnismál*, unde hi versiculi desumti sunt); *hröþass*, Cod. chart. Holm. (in ed. Raskii); *hræðast*, F et

Nunc autem, quotiescunque prælio contendimus, ego primum locum in acie teneo, quique æque atque ego progrediuntur, hi egregii habentur, quibus quidem pro opera strenue navata dignas gratias habeo, sed tamen illorum estis dissimiles. Hodie coloni superiores discesserunt, vos fugati estis. Jam illos insequiminor, eosque a tergo invadite; etenim excellentiores viri, quam vos estis, hos in fugam conjecerunt. Quibus dictis e cœmeterio cursum convertit; compluribus vero suorum templa osculantibus: vos, Birkibeini, inquit, nunc multo quam antea sacrorum observantiores estis; nunc enim ad quæcunque templa accedatis, ea vos ligurire velle simulatis, cum alias plerumque templa frequentare negligatis. Dein rex sursum per semitas vectus est, magno comitante numero militum, qui bene multos e colonis interceperunt. Tum septemtrionem versus ad Valkabergum[1] prospicientes, cum arma ibi sublimia ferri animadvertissent, rex iter eo convertit, moxque ibidem magna strages edita est. Etiam hoc loco coloni terga verterunt, fugamque quam maxime accelerarunt, alii per semitas, alii alio discurrentes. Ita eo die sæpissime factum est, ut coloni, cum continuo cursu se abripuissent,

---

Cod. reg. membr. Havn; quarum omnium lectionum idem sensus permanet, ɔ: debilitari, senio infirmari. Lectt *hrærast* et *hröþass* rarissimæ sunt, quarum prior non confundenda est cum *krøraz* (dan. *røres*, nunc isl. *hrærast*), moveri, nam *hrærast* h. l. valet idem quod *hrerast, hrörast*, ex hodierno *hrör* et *hrer*, res senio confecta vel usu detrita, unde et altera forma *hrörna*, vox hodieque sermoni quotidiano islandico familiaris; posterior, *hröþass*, vetustissima esse videtur, ad quam referendæ sint tam voces Eddicæ *hröðir, hröðungr*, gigas, et *hröðuðr*, ignis, quam verbum in prosa oratione veterum usitatissimum, *hrjóða*, vastare; inde *hræðast*, hoc sensu, deflexum.

[1]) Volkabergum, *F*; Valabergum, *B*.

plerumque effugerent; cujus multitudinis etsi maxima pars fuga evaderet, tamen tot homines ceciderunt, ut numerus interfectorum haud facile iniri posset, multa enim corpora non prius quam proximo vere inventa sunt.

Coloni a rege Sverrere prælio superati.

165. Rex Sverrer, universo exercitu ad Mortostokkos tuba convocato, cum ipse eodem venisset, hunc in modum verba fecit: jam omnes residant ac requiescant; calones in oppidum profecti cibum ac potum arcessant. Sic factum; interea multi vulnera sua obligarunt. Erat hora diei circiter tertia post meridiem. Tum in pascua Akrensia prospicientes, animadvertunt, eo loco magnam convenire multitudinem ex omnibus partibus confluentem; quæ multitudo etiam colonorum erat. Nimirum coloni in orientali parte pascuorum Akrensium prope glaciem congregati, eo loco consilia inter se conferebant, quorum alii domum reverti voluerunt, illi autem, qui in sua sententia pertinacissimi erant, prælium adhuc tentandum censebant, dicentes, Birkibeinos, vulneribus saucios pugnandoque fessos, compluribus interfectis, haud dubie jam animum et alacritatem abjecisse: aut quare nemini in mentem venit, ut regem interficeret, cum se in manus nostras equo objecisset? per Deum juro, si ita se sæpius gerat, nunquam elapsurum, nunquam enim commodior nobis offerri occasio poterit. Jam impetum fortiter excipiamus, alterque alterius curam habeamus! Omnes centuriones colonorum societatem coierunt, datisque dextris inter se confirmarunt, ne quis alterum desereret; quo facto surrexerunt, aciem quam diligentissime instruxerunt, constituerunt, qui tela clypeis exciperent, qui cæsas aut punctas inferrent, sagittarios suos in unum locum collocarunt, jamque

se a Birkibeinis tutos arbitrabantur. Birkibeini animadverterunt, colonos sese ad pugnam parare. Rex surrexit et locutus est: congruit in colonos istos vulgare proverbium, sero defatigari eum, qui in pejore causa sit; isti mihi adhuc ad præliandum parati esse videntur. Maximi nostra, Birkibeini, interest, ne quo loco ab his pelli nos patiamur; denuo adversum eos contendamus, eumque impetum in eos demus, ut magis domum reverti, quam diutius cum nobis pugnare cupiant; faciamus, ut omnino recentes et integri esse videamur. Post hæc bellicum cani jussit, quo facto exercitum ad glaciem versus deducere cœpit. Mox Birkibeini acrem in colonos impetum fecerunt, quem hi fortissime exceperunt, ingensque eo loco pugna extitit. Ipse rex equum in aciem colonorum incitavit, obstantes loco pellere conans; quo loco si nihil proficere posset, alio equum immisit, impetumque in diversas partes facere perseveravit. Coloni, regem exacte cognoscentes, alii alios his verbis hortari: eum interficite, percutite, transfodite, equum quo insidet obtruncate. Hæc dicta, non facta sunt. Quum aliquamdiu pugnatum esset, ut exitum prælii referamus, rupta acie colonorum copiæ dilabi cœperunt. Coloni, quo loco aciem instruxerant, nivem congelatam pedibus calcarant, quo cum Birkibeini ad eos adscendissent, fides societatis quam inierant vacillare cœpit; factum itaque est, ut, qui se nunquam digressuros esse confirmarant, iidem alii alio aufugerent, cumque omnis colonorum multitudo in fugam se conjecisset, quod itinera fugientes capere non potuerunt, quoquoversus dilapsi sunt. Birkibeini vehementer instantes, magnum ex iis numerum prostraverunt. Qui cum palantibus instantes in globos discessissent, Alius Halvardi filius, qui

eodem plane modo ac rex vestitus erat, paucis comitatus in fruticetum aliquod, in anteriore pascuorum parte situm, equitavit, ubi a colonis subito supervenientibus necatus est, obliquam genam collumque letali plaga ictus, deindeque armis spoliatus. Quo facto ingentem clamorem edentes, regem cecidisse significarunt. Quo audito Birkibeini in persequendi studio retardati sunt, brevique hic rumor ad utrosque, colonos et Birkibeinos, pervasit, jamque utrorumque cohortes in unum congregari cœperunt. Quod ubi rex audivit, bellicum cani jussit, equoque audacter provectus est; moxque coloni intellexerunt, se minori præda potitos, quam opinati essent. Interim Birkibeini per fruticetum contenderunt, vexillo regio præcedente. Dein per prata quædam profecti in magnam colonorum multitudinem apud rupem quandam inciderunt, confestimque impetu facto vehementem et acrem pugnam commiserunt, utroque exercitu in eum locum confluente. Coloni hoc loco, ut antea, male mulcati, moræ ibidem pertæsi domum contendere maluerunt, aliique alio aufugere cœperunt. Birkibeini omnes, quotquot assecuti sunt, interfecerunt, fugientesque ad noctem usque insecuti sunt. Rex hoc die cuique, qui petisset seque convenisset, incolumitatem concessit. Thorvidus cæcus captus, et a rege vita donatus est. Colono cuidam, qui ter eodem die captus erat, rex singulis vicibus pacem dedit; qui cum denuo ad colonos transfugisset et cum eis pugnaret, quarta vice captus et interfectus est. Rex vespere se in oppidum recepit, vigilias quoquoversus ab oppido disposuit. Insequenti mane, advocata concione, oppidanis pro præstito auxilio suisque pro opera fideliter navata gratias egit, multis pulcrisque verbis eorum in se beneficia commemorans: ea

res nobis, inquit, in primis saluti fuit, quod tanta multitudo impetum in nos uno tempore non fecit; atque spero fore, ut nunquam sæpius copiæ tam prævalentes nobiscum congrediantur, neque facile exemplum inveniri arbitror, quosquam cum tam parva manu pugnam adversus tantam multitudinem fecisse. Ego glaciem penitus ad mare usque excidi volo, ut naves nostræ committi aquis possint; quaterni viri unum passum in longitudinem, quatuor in latitudinem cædant, locumque patefactum purgent; hoc modo glacies quotidie excidenda est, donec ad mare perventum sit. Post hæc rex funem in glacie producendum, militesque disponendos curavit; in hoc opere milites, mercatores et oppidani erant occupati, resque paucis diebus administrata. Rex, ut primum fieri licuit, naves aquis commissas ex oppido devehendas curavit, instructas paratasque e sinu eduxit, cursumque boream versus in Vikam dirigens, vespere festi paschalis Bergas pervenit. Cujus adventus maxima omnes lætitia adfecit, in primis eam ob causam, quod incerto aliquo rumore cognoverant, Baglos in cursu a borea esse, in oppido propediem adfuturos.

De rebus inter Birkibeinos et Baglos intercedentibus.

166. Prima feria festi paschatis, sole nuper orto, excubitores, conspicati celoces Baglorum, a borea præter Hegranesum remigantium et in oppidum tendentium, inflatis tubis milites excitarunt, qui extemplo tentoria navalia deripuerunt, monente rege, ne nimio studio ad prædam raperentur, Baglosque sinum ingredi paterentur. Mali in navibus regiis nondum submissi fuerant, quo animadverso Bagli mercatorias esse arbitrabantur. Cum vero sinum intrassent, aliud spectaculum objectum est; Birkibeini enim, cum

proras jam antea pelago obvertissent et ad remos consedissent, eo ipso tempore quam maximo impetu in eos ferebantur. Tum quoque Bagli viderunt et agnoverunt et Sigurflugam, vexillum regis Sverreris, et Andvakam, tubam ejus. Hic omnes unum ceperunt consilium, ut naves ab altero latere inhiberent, ab altero latere, quod ad litus vergebat, quam contentissime remigarent, et meridiem versus aufugere contenderent. Sed antequam omnes naves flexissent, Birkibeini tanto impetu in duas[1] celoces irruerunt, ut carinae extemplo subverterentur. Tum utrique, quantum potuerunt maxime, remis contenderunt. Baglorum alii, cum ab insequentibus premerentur, naves ad Gravdalum ejecerunt, rex vero designatus ac Reidar cum aliquot navibus ad Gygisvikam appulerunt, alii longius meridiem versus deflexerunt. Quos insequentes Birkibeini, magnum ex eis numerum interfecerunt. Rex Sverrer ad Gygisvikam appulsus, naves Baglorum intercepit, magnam hominum multitudinem prostravit, principibus eorum elabentibus. His confectis rebus rex in oppidum se recepit; Bagli vero iterum congregati, orientem versus in Vikam vagati sunt, ubi liberaliter ab colonis excepti, cum his denuo conspirationis societatem inierunt.

De itineribus regis Sverreris.

167. Rex Sverrer aliquantum temporis in oppido commoratus, imperatis copiis provincialibus et impensis classicis, iter vere magno cum militum numero, multisque et ingentibus navibus comparavit; tum ingentem illam Hofdabuzam[2] ducebat. Cursum meridiem versus secundum terram direxit et deinde orientem versus in Vikam profectus est. Cum vero in Vikam Tuns-

[1]) *ceteri;* quinque, *A.* [2]) Hundabussam, *G*,

bergumque venisset, eo loco Bagli se continebant. Ibi Reidar legatus cum magna cohorte versabatur, a Vestfoldensibus constitutus, ut fines regni contra Birkibeinos tueretur. Hi superiori Tunsbergi parte occupata, multa ad defensionem præparaverant, duo castella eduxerant, alterum in septemtrionali rupis parte, alterum in parte meridiana supra viam, ab æde Laurentii sursum ferentem. Rex Sverrer, hac vice Tunsbergi non diu moratus, cum sui ex oppido remigarent, locutus est: quanto usui istam vobis rupem esse, Bagli, nunc existimatis, tanto vobis incommodo aliquando erit. Inde in orientalem Vikam profectus, ubique multitudinem a colonis collectam, servos pariter ac liberos, deprehendit; regiis nusquam continentem attingere licuit; sui, quocunque loco deprehenderentur, necati, et si continenti adpropinquassent, tela in eos conjecta. Colonorum præfecti erant, Sigurdus dynastæ filius, Halvardus Brattius, Lodin Pauli, Amundius Bursta, multique alii centuriones. Rex Sverrer, litora legens, orientem versus Kongelam usque profectus est. Hic concilio colonorum indicto, quod rex magno cum militum numero advenerat, nullique eo loco coloni erant, qui Osloam contra regem fuerant profecti, in concilio adfuerunt. Rex ab iis impensas in classem et stipendia militaria exegit, multas præterea exigendi causas adjecit. Coloni omnia imperata libenter fecerunt, neque regiis ullus alius commeatus venit. Inde reversus rex conventum colonorum in Ordosta habuit, eademque postulavit, dicens: omnes equos, qui hac in insula sunt, mihi commodetis velim, quibus mihi opus esse existimo; vos autem homines conducite, qui eos custodiant, et, cum usi fuerimus, reducant. Quod si libenti animo præstatis, gratum

feceritis, sed utcunque res erit, ut habeamus magna postulat necessitas. Coloni equos adtribuerunt, item Thjornæ aliarumque insularum incolæ, navesque subinde boream versus in Vikam devexerunt, colonorum copiis e regione eorum in continente iter facientibus. Cumque rex Sverrer septemtrionem versus ad Sotanesum pervenisset, introrsum ex cursu deflexit, et quo loco Tharvæ dicuntur, constitit. Quo loco cum multitudo Baglorum adesset, rex suos in navibus continuit; quare Bagli in superiora contenderunt obviam exercitui colonorum, qui omnes, consilio in locis superioribus ad ædem Forsensem habito, consilia contulerunt, hortantibus colonis, ut adversus regem irent et cum eo dimicarent, alias eum regionem incendio vastaturum. Quo probato consilio, concilium dimittitur. Itaque universi adversus regem ire contenderunt, Sigurdo dynastæ filio vexillum præferente.

Prælium regis Sverreris cum Baglis.

168. Rex Sverrer navibus egressus exercitu palam fecit, se Baglos aut colonos, utricunque occurrerent, invasurum, questus, se satis diu ante litora jactatum nihil, quod præstare coloni debuissent, accepisse. Exercitu diviso, partem naves custodire jussit, ceteri, quæ erat major pars exercitus, egressi sunt. Alii equis, qui præsto erant, utebantur, alii pedibus ibant. Sic eo die iter facientes, omnem tractum a colonis vacuum invenerunt. Circa horam tertiam pomeridianam rex, in rupe quadam forte constitutus, gradum stitit atque locutus est: hinc descendentes revertemur, totumque tractum, quacunque iter faciemus, inflammare occipiemus. Neque ita multo post vir quidam regem adiens exclamavit: a boreali hujus rupis latere copiæ colonorum se per vallem demittunt. Rex: eam

igitur rationem insistemus, ut nos adversum eos convertamus, quid fortuna ferat, tentaturi. Mox classicum cani jussit, quo facto cum exercitus ad eum convenisset, extemplo boream versus in vallem ire contendit, ipsius cohorte agmen præcedente. Quo viso coloni arma sumserunt. Obviam ex diverso profecti, congressi sunt, quo loco ab altera parte erat silva, ab altera limosus quidam rivulus, et in propinquo agri. Rex, ut primum advenit, impetum in eos fecit; ex adverso primi stabant manipulares Sigurdi dynastæ filii, vexillum ejus præferentes, ipso procul absente. Hi impetum fortiter sustinuerunt; sed cum exercitus regius celerius subsequeretur, coloni cunctari cœperunt, et consultare, utrum progredi, an regredi præstaret. Interea Birkibeini plerosque Baglorum milites, qui in pugnam processerant, dejecerunt, vexillumque conciderunt. Itaque colonis ea sententia stetit, ut Birkibeinos vitarent, jamque totus colonorum exercitus in fugam se conjecit; quos insecuti Birkibeini, magnam multitudinem interfecerunt, vespere se ad naves receperunt. Hoc prælium prope villam, quæ Skarvstadi dicitur, factum est.

Rex Sverrer tractum a colonis habitatum incendit.

169. Post eodem die coloni descenderunt et pacem petierunt. Rex pacem omnibus petentibus concessit, quam ob rem complures colonorum descenderunt, regique magnam pecuniæ summam dependerunt. Quo facto rex Sverrer classem abduxit, et se boream versus in Vikam convertit. Classem in sinum, qui Hornesfjordus[1] dicitur, appulit, nuntiumque ad colonos misit, ut in gratiam secum redirent; alii ad gratiam reconciliandam descenderunt, alii domi remanserunt,

[1]) *ceteri;* Fjornesfjordus, *A.*

quorum multo major numerus erat, scilicet omnes Agdenses ab orientali fluminis parte, confisi, Baglos auxilio sibi venturos. Quo loco cum rex aliquamdiu constitisset, in tractum escendit a septemtrionali parte situm; hic omnes homines relictis domiciliis aufugerant. Cumque diu progressi essent diesque processisset, rex suis præcepit, ut rursus ad naves descenderent, Hakonem vero filium suum cum parte copiarum ab altera parte secundum longitudinem tractus habitati iter facere jussit: nos vero, inquit rex, iter hac dirigemus, et utrique totum tractum inflammabimus. Itaque igni tectis subjecto, omnia, quacunque iter facerent, incendio absumta, multaque ingentia prædia incensa; tum Dalum illum magnum, quem Havardus colonus possidebat, flammis aboleverunt. Vespere puer quidam e silva ad regem procurrens, locutus est: per ego te Deum obsecro, domine, ut ædibus patris mei, hunc locum præjacentibus, parci jubeas. Cui rex: iis vero parcetur, te deprecante, nec ullæ hodie incensæ fuissent, si coloni domi remansissent pacemque petissent; his tu nuntia, nullam ex hoc tempore domum incensum iri. Tum rex ad naves descendit; postero autem die coloni descenderunt et regi stipendia polliciti sunt, quo facto totus ejus loci populus ei se subjecit et stipendia exsolvit. Hoc loco rex omnibus, quas voluisset, rebus confectis, sinu Foldensi boream versus trajecto, cum in Havsteinsundis staret, Baglos Tunsbergi in navibus instruendis occupatos esse cognovit. Cumque rex in fretum Grindholmense intrasset, cursu extrorsum a boreali Tunnæ[1] parte directo remis eos insecutus est, tenebris jam oborientibus. Insequenti nocte rex in Rafnsvogo ab exteriori Tunnæ[2]

[1]) *G*; Tiumæ, *A*; Tuimæ, *F*; Trymæ, *B*. [2]) Tiumæ, *A*.

latere stetit, classe Baglorum paulo propius ad meridiem juxta litus constituta. Prima statim luce rex cum celocibus et levibus navigiis ad quærendos illos remis contendit; sed Bagli ante lucem vela in altum dederant, quos rex jam insecutus est. Qui cum animum advertissent, naves Birkibeinorum suas celeritate superare, neque posse sese effugere, cursu converso introrsum ad terram contenderunt. Tum corbita quædam, quam ducebat Sæbjorn Limus, ab alto ad promontoria Tunnæa[1] deflectebat. Hunc Birkibeini remis insecuti, Sæbjorne cum altero effugiente, reliquis omnibus interfectis, corbitam cum omnibus rebus, quæ in ea erant, ceperunt. Bagli cum septem celocibus a boreali Oxneyæ latere in Sandafjordum ad litus septemtrionale, quo loco Heslivikæ[2] dicuntur, cursum converterunt, eoque appulsis navibus in terram excurrerunt. Quos navibus adortus rex Sverrer, magnum ex iis numerum interfecit, navibus omnibusque rebus, quæ in eis erant, potitus est, Baglos in terram fugere coegit. Rex Tunsbergum reversus, ibi aliquantum temporis commoratus est.

De rege Sverrere.

170. Post aliquanto cursum quo tendebat boream versus dirigens, cum in Portyriam venisset, converso cursu, cum aliquot celocibus levibusque navigiis iterum Vikam intravit, eo consilio, ut Baglorum quot posset interciperet. Itaque cursu noctu interdiuque continuato, sperans, Baglos, simulatque se Vika excessisse putassent, emporia petituros, primo Tunsbergum profectus est, ubi septem ex Baglis ceciderunt. Inde Osloam delatus, aliquot hostium interfecit, quo facto ad classem reversus, suos cum navi-

[1]) lego *Tunnuskogum;* Tiumæ, *A;* Thrimæ, *B;* Tvimæ, *F.*
[2]) Hellisvikæ, *B.*

bus majoribus in Askeyarsundo ad boream in ora Limgardica offendit. Inde cum exercitu boream versus Bergas delatus, militibus evocatis domum discedendi veniam concessit, ipse Bergis hiemavit. Bagli in Vika se continebant, eisque locis tributa et vectigalia redigebant.

Rex Sverrer rupem obsidione clausit.

171. Vere insequenti rex Sverrer militibus undique ex regni partibus septemtrionalibus evocatis, cum magno copiarum numero orientem versus in Vikam profectus est. Reidar rupem Tunsbergensem tenebat, infra ducentos quadraginta milites habens; ibidem erat Halvardus Brattius multique alii centuriones, rex vero designatus cum Sigurdo dynastæ filio magnoque copiarum numero in superiori regione se continebat. Rex Sverrer orientem versus trans sinum Foldensem navigavit, locaque adjacentia proxima æstate peragrans, stipendia a colonis exigebat. Hic omnes incolæ, præter Skaunienses, ei se subjecerunt. Post hæc Borgam profectus, celocibus præter cataractam Sarpum pertractis, adverso flumine remis subvectus est; in Skauniamque transgressus, omnem tractum habitatum incendiis vastavit. Quo facto cum coloni regem pacis petendæ gratia adiissent stipendiaque pependissent, ad naves regressus, trajecto sinu Foldensi boream versus Tunsbergum navigavit. Rex Sverrer rupem obsidione cinxit, Baglosque exitu interclusit; tabernacula ubique a septemtrionali rupis latere, inter oppidum et boream versus usque ad mare, posuit; fossam pro castris a sinu boreali meridiem versus ad Skeljasteinsundum ducendam curavit, intra quam palos continuo ordine defixerunt; quæ omnia adversus incursiones terrestris exercitus præparata sunt. Rex naves suas subducendas et in tuto collocandas curavit; exer-

citum in cohortes obsidionales divisit, ex quibus speculatores ad semitam borealem ex Frodaso ducentem, præfecto Petro Steypere, constituti sunt: hi ædes in inferiori oppido sumtas eo transportarunt, cui loco Gestabakkii (speculatorum clivi) nomen adhæsit. Rex magno cum militum numero in oppido sæpissime quiescebat.

Rex Sverrer Tunsbergum obsidit.

172. Rex Sverrer copias suas ad rupem oppugnandam disposuit, ipse vexillum suum a meridie in fauces rupis inferri jussit, speculatoribus castellum septemtrionale oppugnantibus. Bagli, qui copias suas ad defensionem disposuerant, saxa et tela in Birkibeinos adversæ rupi subeuntes ingerebant; neque tamen eo minus Birkibeini ad ipsum castellum succedebant, adeo ut utrique punctas gæsis alii aliis inferre conarentur. Bagli qui castellum tenebant, ingentibus saxis dejectis clypeos et cassides chalybeas corruperunt, Birkibeinosque vulneratos in fauces se recipere coegerunt. Quo facto rex intellexit, loci naturam suis adeo esse iniquam, ut rupes vi expugnari non posset. Bagli lætitia gestiebant et jactanter loquebantur. Rex, cum aliquantum temporis circa rupem moratùs esset, quoquoversus in pagos dimisit, qui impensas bellicas et commeatum supportarent; quæ omnia, quamdiu Birkibeini ob glaciem classe circumvehi poterant, expedite subministrabantur. Rex Sverrer, graviter ferens, quod eum nemo de apparatu bellico obsessorum edocere posset, id consilii excogitavit, ut scalæ templorum ex oppido adlatæ et inter se colligatæ turri ædis Laurentii a parte meridiana adplicarentur. His militum aliquis in tectum ab ea parte, quæ a rupe vergebat, adscendit, globumque summæ turris manibus complexus omnia, quæ in rupe gereban-

tur, conspexit. Quem cum Bagli conspicati essent, Reidar legatus sagittam in eum misit, qua in globum illapsa, alteram emisit, quæ inter manus remittentis transvolavit; sed tectum eum a plurium sagittarum ictu tutum præstitit. Post hæc descendit, regique quæ vidisset exposuit: Baglos aliquot celoces in rupem pertraxisse, propeque infra castellum, quod boream spectabat, puteum eorum esse, cui unam celocium inversam superimposuissent, ut facilis eo de rupe aditus esset; castella ita esse facta, ut quatuor tigna directa constituta sint, asseribus laterariis a superiori parte interjuncta, quibus contabulatio suspendatur, a parte vero inferiori fores inter tigna esse. Nocte quadam insequentis autumni, densissimis tenebris obscura, rex virum quendam, nomine Sveinem monachum, in rupem misit; is funem secum portabat, duasque hastas brevioribus manubriis, quarum alteram manu tenebat, alteram sub cingulo habebat. Qui cum in rupem adscendisset, funem uni castelli tigno quantum potuit a summo adligavit, cujus funis alteram extremitatem amplius centum viginti viri tenebant. Svein percusso fune his significavit, alteram ejus extremitatem jam adstrictam esse, quo dato signo in funem irruentes maxima vi trahere cœperunt, ut castellum vacillaret, magnusque timor Baglos, qui intus erant, occuparet; sed eo ipso momento funis diruptus est. Svein monachus, conscensa rupe, ad meridianam ejus partem se contulit, quo loco duo custodes erant, quorum uterque dormiebat; horum alterum hasta perforavit, alter ad punctam exsiliit, quem Svein stantem transfodit, et ita utrumque interfecit; quo facto de rupe a parte orientali descendit et ad Birkibeinos se recepit. Rex Sverrer multa stratagemata ad rupem expugnandam

excogitavit, tabulata e lignis, crassis tignis suspensa, facienda, et castello admovenda curavit; quæ cum ad promovendum admodum essent difficilia, nulli usui fuere. Crebro Birkibeini ad ictum teli processerunt, atque ita tela inter se conjecerunt; sed loci natura Baglis omnia faciliora reddidit.

De Ingio et Baglis.

173. Ingius, princeps Baglorum, Sigurdus dynastæ filius, Arnius episcopi cognatus, multique alii centuriones cum maxima parte Baglorum exercitus in Uplandis et interdum in Vika versabantur. Hi et Reidar id pactum inter se fecerant, ut alteri alteris, si necessitas postularet, opem ferrent. Sed Reidariani, obsidione a rege Sverrere vexati, cum sero sibi a suis auxilio veniri intelligerent, ipsique sese magno in periculo versari arbitrarentur, id consilii ceperunt, ut homines ad Ingium mitterent. Quod consilium hac ratione exsecuti sunt, ut nocte quadam exiguam celocem, octono remigio instructam, caperent, hanc in occidentalem rupis partem, quæ mare spectabat, pertractam, impositis remis, funibus illigatis, machinisque adhibitis, ex rupe promoverent, inde decem viris impositis, præfecto Thordo Dokka, funibus in mare demitterent. Quæ itineris ratio multum periculi habebat, in primis eam ob rem, quod Birkibeini, celocibus ad rupem dispositis, quavis nocte ibi custodias agebant. Bagli remos impulerunt, celocem maxima virium contentione per medios hostes propulerunt, et intra Smjorbergum[1] in terram excurrerunt. Quos Birkibeini remis insecuti, celocem inanem, et nihil præterea, ceperunt. Bagli, quo studuerant, contenderunt, donec Ingium et Sigurdum convenerunt, quibus a Reidare mandata, quæque ibi gesta essent, exposuerunt.

[1]) Tvimubjarga, *F.*

Bagli testati sunt, se talia de rege Sverrere comperisse, ut cum eo congredi non magnopere concupiscerent, dixeruntque eum, cum ningere et gelare incepisset, rupis obsidionem omissurum. Postridie mane rex Sverrer, Baglos de rupe effugisse certior factus: quam vos jam tædere cœpit rupem obsidere, inquit, tam Bagli, ut ipsi videtis, eo loco obsideri multo molestius ferunt.

De Ribbaldis et Baglis.

174. Ante eadem æstate Johannes, Anglorum rex, regi Sverreri centum viginti[1] milites, ex eo genere qui Ribbaldi appellantur, miserat. Hi, ferarum instar, pedum pernicitate valebant; etiam artem sagittas arcu emittendi optime callebant, summa erant audacia, neque ullo maleficio, quin patrarent, abstinebant. Hi a rege Sverrere in Uplanda missi, præfecto viro quodam, nomine Hidio, fratre Sigurdi Skjalgi, apud populum minus gratioso, in Haddingjadalum devenerunt, et Soknadalum locis superioribus prætergressi in Thelamarkam descenderunt. Quacunque iter facerent, omnes homines, pueros senes, mares feminas, interfecerunt; quin omnes pecudes, quas potuerunt, conciderunt, canes felesque et omnia, quibus occurrerent, animantia necarunt, omnes tractus habitatos, quacunque iter facerent, incenderunt. Exercitu collectitio adversus eos excitato, montes ac deserta petierunt, atque in ea semper loca incursiones fecerunt, ubi adventus eorum a nemine animadverteretur; eas regiones depopulabantur, in quas regiones exercitus nunquam antea ductus fuerat, easque hostilitates faciebant, quæ sine exemplo essent. Hi ad regem Sverrerem, cum rupem obsidebat, venerunt, semper audacter contra Baglos progressi sunt, hostemque telis fatiga-

[1]) ducentos quadraginta, *G*, *F*.

bant. Die quodam Bagli unum ex Ribbaldis sagitta percusserunt, ut homo mortem extemplo oppeteret; quo viso Ribbaldi, ingenti ululatu sublato, jam a rupe recurrebant, jam accurrentes tela in Baglos conjiciebant; neque multo post unus eorum Vikingum Neviam[1], maximum bellatorem, telo percussit, qui, sagitta in sinistram juguli partem infixa, mortem obiit.

De dolis regis Sverreris.

175. Thordus Dokka ex rupe missus fuerat, quod Reidar se auxilio Ingii et Sigurdi indigere existimarat. Quo rex Sverrer cognito: horum adventum Bagli, modo huic nuntio parere velint, haud dubie exspectant. Itaque eos dolo deludemus: proxima nocte, crassissimis tenebris, nostri magnam manum in Frodasum subducunto, caventes, ne a Baglis aut oppidanis animadvertantur; remanentes autem Birkibeini, quum rex tuba signum dari jubeat, attendant, et subito ad arma concurrant; mox, utroque exercitu instructo, speciem inter vos pugnantium simuletis, ita tamen, uti par est, ut alii aliis parcatis; vos autem, qui ex oppido egrediemini, ab oppugnantibus prosterni patiamini, tumultum quam maximum excitetis, illosque superiores esse simuletis, ad extremum universi terga vertatis; quo facto haud scio an Bagli de rupe descendant, quod si forte acciderit, partem nostri exercitus quam proxime rupem occultabimus, ut, si fieri possit, inter domum et dominum interveniant (hostes a reditu intercludant). Hoc consilium effectum est. Mane, ubi illuxerat, custodes Baglorum a boreali castello magnam manum beneque ornatam itinere per Frodasum descendere conspicati, Reidarem accedentes somno excitant, commilitones suos haud dubie ea iter facere di-

[1]) *G;* Væfnium, *A;* Vefiam, *B, F.*

centes. Surgit Reidar, milites arma induunt, induti ad septemtrionale castellum ire contendunt; signa in utroque exercitu, tam qui de jugo descendebat, quam qui ex oppido exierat, conspiciunt; ingentem audiunt tubarum sonitum; mox Birkibeinorum alios fugientes, alios cadentes cernunt. Itaque Bagli Reidarem hortari, ut de rupe descendant, suis opem ferant, nec Birkibeinos regredi per fossam patiantur. Quibus Reidar: primum dispiciamus, quomodo negotium inter se gerant. Si Birkibeini ad fossam usque fugere pergant, in palis superandis diu morabuntur, tumque nostri quantum velint numerum eorum interficere poterunt. Hæc quoque addidit: miro modo se fugientes isti gerunt, atque existimo hoc ludicri aliquod genus esse: videtisne eos loca, ubi cadant, circumspicere, ubi solum siccum subsit, aut super ipsorum clypeos; numquid arma eorum aut vestes cruentata videtis? Equidem neutrum video, quare hunc dolum esse Sverreris autumo. Rex Sverrer, cum intelligeret, cavere Baglos ne de rupe descenderent, totum exercitum in castra reduxit.

Oratio regis Sverreris.

176. Procedente jam hieme, cum gelicidia incidere aquaque concrescere cœpisset, Birkibeini majori commeatus parandi difficultate premi cœperunt, colonisque in subministrando difficilioribus utebantur. Qua victus difficultate et inopia, tanta in exercitu indignatio extitit, ut plerique milites evocati domum discedere cuperent. Itaque rex concione advocata hunc in modum verba fecit: audio ex militibus, hanc temerariam videri obsessionem, domi mansionem præferri, beatumque prædicari, cui venia domum discedendi concedatur. Sed indigna viris fortibus oratio est, regem suum increpare, etsi ventres,

velut operarii ad perticam, non distendatis. Eorum dissimiles estis, de quibus veteres historiæ narrant, qui hostes suos obsidendo delere tanta pertinacia studuerunt, ut vestimenta, quibus tecti erant, putredine corrumperentur, ipsi vero scorteis gladiorum vaginis et corio superiori calceorum vescerentur, neque tamen unquam nisi reportata victoria desisterent. Quæ exempla etsi adduxerim, tamen propius arcessi possunt, quum ipsi Bagli majorem constantiam et pertinaciam exhibeant, qui sese dedere nolint. Nolite mihi diutius talibus obstrepere; etenim hoc loco, sive vobis pronum, sive arduum videatur, sedendum nobis erit, usque eo donec Baglos in potestatem nostram redegerimus. Quum jam hiems processisset, et victus in rupe angustior esse cœpisset, intellexit Reidar, suis brevi commeatum defuturum, si nuntius ad Ingium et Sigurdum missus nihil auxilii afferret. Sed nulla responsa acceperant, præterquam quæ Birkibeini eis quotidie referebant, Ingium regem eorum propediem magna cum manu ad eos liberandos adfuturum. Quæ cavillandi gratia, sicut revera erant, dicta esse Bagli existimabant.

De consiliis Sigurdi dynastæ filii.

177. Posthæc Reidar literas ad Ingium et Sigurdum conscribendas curavit, in quibus scriptum erat, sese ad festum Nicolai, quamvis summa victus difficultate, in rupe sustinere posse, blandis adjectis precibus, ut sibi auxilio venirent. Interea acre gelicidium inciderat, sinusque secundum rupem glacie coierat. Nocte proxime insequenti Reidar nuntium cum his literis a septemtrionali rupis parte emisit, qui duobus asseribus cursoriis insistens, fossam secundum ipsam oram maritimam præterlapsus est, ac jam prius

discesserat, quam Birkibeini animum adverterent. Ille, quo studuerat, pertendit, et in emporium Hamarense ad Ingium cum literis pervenit. Ingius, centurionibus in concionem convocatis, literas recitandas curavit. Ad quas Sigurdus dynastæ filius ita respondit: nos quidem aliquamdiu factionibus impliciti fuimus, nostrosque frequenter, opera regis Sverreris, amisimus; cum vero magnam quoque cladem ei intulerimus, in fatum inevitabile, instigante Reidare, multum abest ut ruere velimus. Aliam potius rationem insistemus: in sinus septemtrionales profecti naves comparemus, quo facto eum de nobis nuntium Sverrer accipiet, ut magis necessum existimet, eas regiones, in quas incurrerimus, defendere, quam rupem istam paucis occupatam obsidere. Quod consilium cum ab omnibus utilissimum esse judicaretur, Bagli, itinere septemtrionem versus in Valles converso, in Raumsdalum descenderunt, ubi comparatis celocibus meridiem versus secundum terram vagabantur. Sinum Sognicum meridiem versus prætervecti, eo cursum dirigunt, vento adversum tenente magnum remigandi laborem subeuntes. Nocte Vikam appellunt, celocem, qua Jon Stalus vehebatur, cum omnibus rebus, quæ in ea erant, occupant, ipsum in terram excurrere cogunt; is meridiem versus Bergas proficisci statuerat. Jon cum omnibus suis in silvam confugit; quibus coloni arma et vestimenta dederunt.

De Baglis et Birkibeinis.

178. Postero mane Bagli ad quinquaginta numero Hovum ad lavandum adscenderunt. Quorum itinere animadverso, Jon Stalus, qui cum duodeviginti viris supra in monte versabatur, quo tempore commodissima ei occasio visa est, ad villam decucurrit. Cujus iter Bagli conspicati

aufugerunt; quos ille deorsum ad Aldinhagium[1] insecutus, uno eorum ibi interfecto, loca superiora repetiit, posteroque die iter meridiem versus per superiora Bergas ingressus est. Bergis Einarem regis affinem et Dagfinnum invenit, qui cum copiis, quas nancisci poterant, itinere comparato, conscensis navibus, boream versus in Sognum profecti sunt. De Baglis compererunt, eos in emporio Lusensi consedisse, ibique Sognensibus ad concionem convocatis milites in expeditionem evocasse (impensas in usum belli imperasse). Eodem conventu Ingius rex creatus est, cui colonus quidam, nomine Gunnthjovus, regium nomen dedit. Birkibeini proxima nocte in Sognum remigarunt, prima luce in emporium pervenerunt, naves pontibus applicuerunt, tubisque inflatis audacter escenderunt. Bagli ad arma concurrerunt, fugamque capessiverunt, aliquot suorum amissis. Emissariorum aliquis, cui nomen Bjorni Furulango[2], in æstivis montanis supra emporium Lusense Arnium episcopi cognatum deprehendit, qui cum graviter vulneratus esset, longius progredi non valuerat. Hunc Bjorn, ut vestimentis et pecuniis, quas secum habebat, potiretur, interfecit, corpusque interfecti occuluit, quod vere proxime sequenti repertum est. Bagli Kaupangsfjallum (montem Emporii) cursu petierunt, inde per interiora in Svavornium[3] contenderunt, nonnullis in Folkam dilabentibus; deinde pontonibus et minoribus navigiis introrsum Lustrum[4] vehebantur; Birkibeini vero naves eorum, magnum armorum vestiumque numerum omnesque pecunias ceperunt. Bagli, conjunctis Lustri copiis, monte superato in Ardalum descenderunt.

---

[1]) Aldinhaugos, *F*, *G*. [2]) Furuleggo, *G*. [3]) Fornafjallum, *B*.
[4]) Lystrum, *B*.

De quorum itinere certior factus Jon Stalus, per interiora profectus adversus eos contendit; Bagli vero jam tum lacum præterierant, posteroque mane montem ascendere contenderunt, quo superato in Valdresum, indeque in Uplanda se contulerunt.

Bagli rupem dedunt.

179. Interea rex Sverrer rupem obsidebat, jamque dies exierat, ad quam Reidar in literis scripserat se in rupe sustinere posse. Itaque obsessi in rupe tantis angustiis premebantur, ut quo vitam tolerarent, parum haberent, præter funes coriaceos, quos concisos coquebant. Talibus dapibus per festum jolense contenti esse cogebantur, nec harum quidem copia sufficiente. Vergente festo jolensi Halvardus Brattius uno comitatus nocte quadam ex rupe aufugit; quibus rex Sverrer ad se venientibus incolumitatem concessit. Qua de re Birkibeini proximo mane certiores facti, ægerrime ferebant, Baglis incolumitatem concessam fuisse. Bagli, his rebus animadversis, quum in spem pacis antea desperatæ venissent, complures ex rupe ad regem confugerunt, omnesque pacem impetrarunt. Tum rex verum comperit, Baglos jam nullam in rupe spem salutis habere, omnesque fame jam confectos esse; etiam Reidar regi jusserat nuntiari, se postridie ejus diei ex rupe excessurum, mortemque armis potius quam fame subiturum, pacem vero, si ejus potestas fieret, et sibi et suis omnibus accepturum. Tum rex Sverrer, militibus ad concionem tuba convocatis, hunc in modum verba fecit: nunc a vobis consilium petere volo, quomodo in Reidarem ac suos, si in nostram venerint potestatem, consuli placeat. Quod si fiet, omnes nostri hanc obstinatam obsidionem solvi gaudebunt, hique maxime, qui proxime

elapso autumno maxime fremebant, quod discedendi veniam non impetrassent. Ecquibus, quæso, incolumitas concedenda est, an nulli? Ad hæc complures responderunt: ii soli nobis in hac rupe convenisse videntur, qui plurima maleficia commiserint; atque ægerrime feremus, fame multisque laboribus horum causa toleratis, patrum aut fratrum nostrorum interfectores in gratiam receptos nunc a nobis seminterscalmiis sociandos esse. Quibus rex: videte, milites, quis vestrum est, qui semet existimet me excellentiorem esse, meique similem esse dedignetur; animum attendite, an futurum sit, ut cuiquam objiciatur, quod meum judicium hac de re secutus fuerit. Hic Tunsbergi Bagli Hidium fratrem meum interfecerunt, Osloæ Philippum dynastam, cognatum meum, multosque alios. Hac hieme, id quod vos audisse opinor, Sverrerem caniculam, multisque aliis ignominiosis nominibus appellitarunt. Quæ omnia eis Dei causa ignoscere volo, et in vicem ab eo impunitatem peccatorum, quibus eum offendi, exspectare; neque vobis minus, quam mihi, animis est consulendum, quorum vobis habenda ratio est; neque vos quisquam hanc ob causam ignavos appellabit. Tum universi rem arbitrio regis permiserunt. Itaque rex ad Reidarem misit, ut omnes incolumitate donarentur. Sequenti mane, tempore jentaculi, Reidar cum omnibus suis de rupe descendit, quos ad se productos rex Sverrer universos in verba sua adegit. Dein eos per cohortes distribui jussit, ipse Reidarem in suam adsumsit; præcepit, ut magna cura in iis recreandis adhiberetur; quod et factum est. Ipsos quoque monuit, ut cibum ac potum caute sumerent, quibus monitis minus diligenter obtemperatum est. Adeo autem erant morti vicini, ut omnes morbo tentarentur,

multi morerentur, complures, qui vitam retinebant, diu morbo macerarentur. Reidar morbo diu conflictatus est, cui rex multas curationes adhibuit. Rex Tunsbergum viginti hebdomades obsidebat, post vero paulo, quam rupem expugnarat, iter inde comparavit.

De morbo regis Sverreris.

180. Rex Sverrer Tunsbergi morbum nactus est, qui primo quidem vehemens non erat. Itaque rex septemtrionem versus Bergas profectus est, eoque tempore jejunii pervenit; interdiu sæpissime in posteriore parte navis suæ, celsa in puppi, jacebat. Eodem tempore Reidar æger jacuit, cui lectus ad celsam puppim super arca celsæ sedis stratus est; hunc rex eodem plane modo, quo se ipsum, curare jussit, sæpeque colloquia cum eo serebat, erat enim Reidar magna prudentia. Rex Sverrer in arcem Bergensem se contulit, et in palatio versabatur, in quo lectus ei stratus est. Die Martis secundæ hebdomadis jejunii quadragesimalis mane accidit, ut rex, qui nuper sudaverat, nullos dolores sentiret; quam ob rem complures eum viserunt, paucis tamen ut plurimum præsentibus. Cumque plerique discessissent, Petrus Niger cum eo colloquebatur, cui rex somnium, quod vidisset, exposuit: accessit ad me vir, inquit, idem qui mihi sæpius antea apparuit, meque nunquam vana specie lusit; ego vero sentire mihi videbar, me ægrum esse viribusque admodum desertum. Ex hoc quærere mihi videbar, quem hic morbus exitum habiturus esset. Visus ille mihi est a me conversus hunc in modum respondere: solam, Sverrer, resurrectionem exspecta, inquit. Quod somnium etsi admodum anceps esse videatur, tamen spero fore, post hunc sudorem, ut

natura morbi in alterutram partem inclinet[1]. Quod etiam factum est, nam procedente die major vis morbi accessit. Sequenti mane rex sacerdotes ex oppido arcessi jussit, qui se ad eum oleo sancto ungendum accinxerunt. Interim literas de regni administratione, quas Hakoni filio suo misit, recitandas et obsignandas curavit. Quo facto orationem ad omnes, qui aderant, habuit, hunc in modum verba faciens: vos omnes testes adhibeo, me, quantum sciam, nullum in vivis filium, præter solum Hakonem, habere, etsi forte postea sint extituri, qui se ita appellent, et hoc modo turbas intestinas excitare studeant. Jam, priusquam oleo ungar, me in solium tolli volo, ibique aut salutem aut mortem exspectabo. Sic aliter res cadet, sic aliud audiet Nicolaus Arnii filius, quam opinatus fuit, si hoc in solio, solis amicis circumstantibus, animam efflavero; cum ille dixerit, me cani et corvo prædæ futurum; sed Deus laudetur, qui me multos inter labores ab armis inimicorum meorum tutum præstitit. His dictis rex oleo unctus est; quo facto vires ejus decrescere cœperunt. Qui cum mortem adpropinquare sensisset, locutus est: mortui mei faciem inopertam sinatis, ut tam amici, quam inimici mei cernere possint, num quæ signa exsecrationum et dirarum, quas mihi inimici imprecati sunt, in corpore meo appareant; quæ tunc a me celari non poterunt, si res non meliori loco sit, quam illi dixerunt. Imperium non tam quietum habui, quam laboribus, bellis, difficultatibus exercitum; mea quidem sententia multos

[1]) Cui Petrus: tu ista, domine, aliis multo melius dispicere potes; sed eo meus inclinat animus, sermonem de ea resurrectione esse, quæ in ultimo judicio futura sit, et hanc a viro in somnis apparente significatam putaverim. Cui rex: hoc vero non absimile est, *solus addit B.*

habui, qui mihi inviderunt, et eadem ipsa de causa summum adversus me odium gesserunt, quod Deus iis omnibus ignoscat; jamque dominus meus arbiter inter nos sit, meamque omnem causam dijudicet.

Obitus regis Sverreris, ejusque characterismus.

181. Rex Sverrer die Saturni quatuor temporum mortuus est; cujus funus ea, qua par erat, magnificentia compositum est. Facies regis, ut ipse præceperat, nudata; quam omnes præsentes viderunt, atque postea uno ore testati sunt, se nullius unquam mortui corpus pulcrius, quam ejus, vidisse; erat enim, dum in vivis fuit, cute nitidissima. Rex Sverrer parvo fuit corpore, sed crasso, magnisque viribus, facie lata, pulcra lineamentorum conformatione, barba plerumque scite tonsa, oculis rubicundis, situ pupillarum pulcro et stabili. Animo erat tranquillo et attento; ore in primis diserto, ingenio magna affectanti, claro eloquio, tamque sonoro, ut, quamvis non alta voce loqui videretur, tamen omnes, etsi longius abessent, dicta ejus perciperent. Solio insedens splendidoque cultu indutus majestatem principe viro dignam præferebat. Sedens proceriori corpore esse videbatur, cruribus brevioribus. Nunquam potum inebriantem bibit, ut eo magis mentis statum conturbaret. Semper cibum una vice quotidie sumsit, erat audax magnaque strenuitate, laborum et vigiliarum patientissimus[1].

---

[1]) *Solus B sequentia addit:* apparet hoc loco, quod experientia sæpe confirmat, genus paternum ex ingenio non posse judicari. Rex enim Sigurdus et rex Sverrer, pater et filius, ingenio erant dissimiles. Nam Sigurdus erat ingenio levi et vehementi, Sverrer constanti et moderato; Sigurdus credulus et svasoribus obsequens, Sverrer cautus et circumspectus in amicis eligendis; Sigurdus ingenio versatili et vario, Sverrer animo constanti et æquo; Sigurdus

De sepultura regis Sverreris.

182. Corpus regis Sverreris ad ædem Christi deportatum est, quod funus maxima pompa factum est. Paries lapideus ædis Christi extra chorum et intra fores meridianas apertus est, eoque corpus regis inlatum, dein occluso parieti tabula ænea, in qua aliquot versus aureis literis scripti erant[1], suffixa est, superaddito panno bombycino coccineo, vexillo ejus et scuto, gladio et casside chalybea juxta affixis. Rex Sverrer obiit octavo idus Martii, anno ab incarnatione domini millesimo C° XC° [2], postquam regnaverat annos viginti quinque. Tum duodeviginti anni a cæde regis Magni Erlingi filii transierant. Eodem anno obiit Knutus Danorum rex, cui successit Valdemar frater ejus. Eodem tempore mortuus est dynasta Byrger Brosa, in cujus locum Sviones regem crearunt Jonem, regis Sörkveris filium, anniculum; tum Sviones regem[3] non braccatum habebant.

---

præceps et apertus, Sverrer promissorum servans et verborum parcus; Sigurdus imperitus et multa agitans, Sverrer consilii plenus et diligens. Erant tamen in multis similes: uterque ad res magnas adspirabat, animo magnifico, elegantiæ aulicæ studiosus, in amicos facilis, in inimicos asper, aulicis et comitibus gratiosus; uterque enim erat in servandis amicitiis constans, quare utrumque carissimum habebant, qui utriusvis mores optime noverunt. Mors regis Sverreris militibus et carissimis amicis luctuosa fuit; quin etiam qui inimici ejus fuerant, testati sunt, ejus similem suo tempore in Norvegia non extitisse.


[1]) *B solus addit:* quorum sententia hæc est: hic sita est majestas regum, fulcrum et columen, forma et exemplar fidei, virtutis et fortitudinis, acris strenuitas, tutela et patrocinium patriæ et regni aviti, fortitudo severitatis, detrimentum hostium, honor Norvegiæ, gloria civium, promotor justitiæ, corrector legum, suorum omnium deliciæ. [2]) *rectius* 1202, *ut fragm.* 14. *habere videtur; F h. l. habet* 1195. [3]) *sic B;* dynastam, *G.*

EMENDANDA ET CORRIGENDA.

Scr. hist. Vol. VI. p. 17. not. l. 7. deleatur punctum post *imperat.* p. 32. post lin. 28. adde: *regius ille filius cinereo, valde.* p. 47. l. 2. ante *regi* adde *quam.* p. 79. not. l. 2, *vargleitir* leg. *vargteitir.* p. 81. l. 14. Björni l. Björnis. p. 131. not. l. 4. recipienda est lect. cod. *A, hagfaldinni,* et in versione pro *grandine* reponendum *pascuis.* p. 208. l. 24. *ante* l. *ante se.* p. 229. l. 24. *vente* l. *vento.* p. 230. l. 4. *ahibo* l. *abibo.* p. 232. not. l. 6. deleatur comma post *akkeri.* ibid. l. 12. post *M* adde: hoc ordine, *annat sumar skal ek halda furu sunnar (með) kaldnez fleini,* sequenti æstate navem propius ad austrum dente ancoræ tenebo. p. 268. l. 10. *et* l. *est.* p. 270. l. penult., *magnaque* l. *magnumque.* p. 271. not. l. 3—4, deleatur *minus recte.* p. 274. l. 16, *se* l. *sed.* p. 275. l. 11, *quantum* l. *quanti.* p. 283. l. 10, *divectus* l. *devectus.* p. 292. not. l. 10, *flýgr* l. *flygr.* p. 296. not. l. 11, *oði* l. *floði.* p. 320. l. 9, *acceptus* l. *accepta.* p. 369. l. 22. *suis* l. *sui.* p. 371. not. l. 10, *inscriptione* l. *in scriptione.* p. 377. not. l. 3, *konúngs* l. *þengils.* p. 386. l. 3, *occurrerunt* l. *occurrerent.* p. 395. l. 28, *truculenta,* forte rectius *furva, fusca* v. *cinerea.* p. 398. not. l. 3, *öflugum* l. *öflgum.* ibid. l. 5: Hæc conjectura non est necessaria, nam construendum est: *þrýstir Engla otvins,* oppressor Anglicæ nationis amici (i. e. Anglorum regis).

Vol. VII. p. 16. l. 14, *svarn* l. *svaru.* p. 25. l. 10, *nimini* l. *nemini.* p. 52. not. lin. 11, post *cui* excidit *rex Sigurdus.* p. 60. not. l. 10, *varförum* l. *vasförum.* p. 89. not. l. 7, *þó* l. *þá.* p. 104. l. 1, *parcet* l. *parcit.* p. 141. l. 23, *dijudicandum* l. *dijudicandam.* p. 150. not. l. 7, *mæra* l. *mora.* p. 154. l. 6, *multa* l. *magna;* l. 24, post *eo* adde *magis.* p. 158. l. 4, *uteris* l. *utereris.* p. 186. l. 21, *autum* l. *autem.* p. 198. l. 5, *emer-* l. *emen-.* p. 221. l. 30, deleatur *ut.* p. 295. l. 10, post *inter* adde *eos.* p. 311. l. 3, *consessit* l. *concessit.* p. 324. not. l. 4, *hálfs* l. *hálfo.* p. 336. l. 30, *undeviginti* l. *duodeviginti.* p. 344. not. l. 14, *gróþr* malo *groþr.* p. 347. l. 9, *oficii* l. *officii.*

Tab. I.


1) Jorunna, conj. Geirthruda, soror Astridæ Obornæ.
Ulvus aulæmagis
n Bjarkeyensis.
6) Thorbergus.
Vide tab. sequ.
Joan robustus.
Erlendus Himaldius
Eystein archi-episcopus.
Thorbergu
Erlendus.
Sigurdus Canis.
Vidkunnus.
Erlingus.
Vidkunnus.
Ragna, conj. B. Mördi f.
Gunn-hilda.
gnvaldus dy-nasta.
da, conj. Eiri-
Stakbreller*).
ni
Magnus Mangius, cecidit in Sognio (1184. Fms. 8, 228).
blellr.

Tab. II.

7) Thora, conj. Loptus sacerdos.

Joan (Jon).

Paulus episcopus. Sæmundus. Ormus.

Cecilia.

2) ex Bardo Gudormi f. Reinensi:

Ingius, N. R.

Gudormus.

DARSONAR.*** Tab. III.

dæla ætt.
Fornm. 2, 240, Sturl. hist.

árðr i Ál.

iði gamli.

Atli.

þorkell vingnir.

undr. Arnmóðr skjálgi.

pundr. Galti.

barði. þorgeirr frá Ásgeirsá.

=þorríðr. Styrmir (vide

Hallr.

Kolfinna, mar.
þorgils Oddason († 115

RMIR (hinn fróði, † 20. Febr. 12

cum Styrmere cognatio, sec. hist. S
Lib. 2, p. 49, Fornm. 1, 25
pra). Arii et hist. Lax

Snorri goði (†

1024). Haldór.

þorkatla.

n. þórdís.

kup,
Jul. 1145. þórðr Gilsson.

lfr. Hvammsturla († 1183).

ðr. Snorri Sturluson.

fróði,
r. 1245. *** Nota


3 2044 105 512 867